tantum differant accidentaliter, sicut res operans & non operans. 3. ex illo Matth. 19. *Quos Deus conjunxit, homo non separet*; quem locum etiam de matrim. rato intelligi probavi disp. præc. n. 7. 4. Quia Pontifex nequit dispensare contra jus naturale, & divinum, c. Sunt quidam, 25. q. 1. & cap. seq. sed indissolubilitas matrimonii rati est de jure naturali, divino, ergo. Quod si dicas posse, eo quod fundetur in contractu ex humana voluntate pendenti: contra, quia similiter posset in consummato, cum fundetur etiam in contractu humano, & sæpe ex tali dispensatione nulli irrogetur injuria, ut si uterque conjux consentiat, nec sit soboles. 5. Quia Pontifex nequit in sacramentis dispensare, nec eorum materias, aut formas alterare: hoc enim pertinet ad potestatem excellentiæ Christi, sed matr. ratum est verum sacramentum, ergo. 6. Quia non minoris efficaciæ est sanctificatio, quam matr. efficit ea, quam efficit sacramentale, ut benedictio calicis, & vestium; sed hæc non potest per Pontificem auferri; ergo semel sanctificati, & conjuncti per matrimonium, non possunt non esse tales, dispensatione Pontificis. 7. Quia Pontifex nequit facere, ut hostia semel consecrata, desinat esse talis, manentibus speciebus, ergo nec ut semel sanctificatus per matrimonium, desinat esse talis. 8. Quia similiter posset Episcopus dispensare, cum nullibi reservatum sit, & quæ potest Pontifex in toto orbe, possit Episcopus in sua diœcesi, nisi ei specialiter reservetur: ut dixi l. 1. disp. 61. n. 3. quod tamen Episcopus dispenset, nunquam auditum est. 9. ex c. fin. de transf. ibi, *a severitate canonica, circa matrim. recedere, non licebit*; ubi prohibetur transactio, sive dispositio circa matrimonii sacramentum, ubi gloss. v. Sacramentum, explicat, idest, ut matrimonia legitime contracta, separentur, nulla dispensatio adhibetur ab Ecclesia: & Panor. ibi n. 8. explicat quando per compositionem fieret aliquid contra vinculum matrimonii; ultimo, quia ex opposito sequitur, quod si post matrim. ratum, vir cum alia contrahat, & consummet, tenebit hoc 2. matrim. primo dissoluto, quia vinculum dissolubile est necesse dissolvi per vinculum majus, & indissolubile superveniens priori incompossibile. Hanc sentent. quæ probabilissima est, tenent communiter Theologi: illius videtur esse D. Bonav. 4. d. 27. art. 3. q. 2. dicit enim matr. ratum habere quamdam indissolubilitatem, ut non nisi morte, vel ingressu religionis solvi possit. Et tenent expresse Scotus 4 d. 31. q. 1. vers. Tertio modo dici potest, Palud. 4. d. 27. q. 1. art. 2. n. 14. & q. 3. art. 3. n. 22. & 25. Almai de potest. Eccl. cap. 15. Victoria sum. de matrim. n. 281. & 304. & relect. de potest. Papæ, & concil. n. 1. concl. 1. ad 1. Sotus lib. 7. de just. q. 2. art. 5. vers. Et licet peregre, & 4. d. 27. q. 1. art. 4. vers. His tamen nihil obstantibus, addens contrariam sent. nec probabilitatis umbram habere: Petr. de Soto lect. 13. de matr. §. Post hoc, Ledes. 2. p. 4. q. 69. ar. 7. ad fin. Verac. 2. p. specul. art. 28. ante 4. concl. Cord. l. 1. qu. q. 25. & q. 11. ar. 2. fol. 125. ad fin. Fr. Alex. summ. conf. 3. p. tit. de Papa, paulo post princ. Angles floribus, 2. p. q. 1. de essent. matrim. d. 27. ar. 3. d. 11. f. 534. Palac. 4. d. 27. dis. 2. concl. 2. fol. 581. Arag. 2. 2. q. 88. ar. 11. f. 1035. ante §. Propter hæc argum. Barth. a Ledes. de matrim. dub. 64. fin. Lud. Lop. 2. p. instr. de matrim. c. 54. f. 1167. Petr. de Ledesm. de matr. q. 67. art. 2. dub. 1. & dicit oppositam esse improbabilem: Vega lib. 4. sum. cas. 399. & Manuel. 1. tom. sum. 2. edit. c. 239. n. 5. dicit hanc esse probabilem, sicut & contrariam, & neutram definit. Et ex Jurisperitis, Alex. de Nevo c. Duas, num. 14. de sponsa duor. Joan. Lop. tract. de matrim. 1. p. n. 30. habetur to. 9. Corrasius, ff. de solut. matrim. rub. 2. lect. num. 20. Turrecrem. c. Sunt qui dicant, 27. q. 2. art. 3. n. 5. fin. Tabiena, v. Dispensat. q. 3. n. 4. Covar. 4. decr. 2. p. c. 7. §. 4. n. 13. Anton. Cucus l. 5. instit. major. t. 12. n. 275. Matienzo lib. 5. recop. t. 1. rubr. gl. 1. n. 77. Gutt. lib. 1. qu. can. cap. 17. a num. 12. fin. per multos sequentes, Bursat. consil. 207. nu. 18. lib. 2.

2 II. Sent. quæ probabilior est, docet posse Pontificem dispensare. Prob. 1. quia in dubiis sententiæ superiorum standum est, c. Ad aures, de temp. ordin. & cap. Quid culpatur, 23. q. 1. & maxime Pontificis, cui totius Ecclesiæ regimen incumbit, & ita Spiritus sanctus magis ipsi assistit, sed varii Pontifices dispensarunt nam D. Anton. 3. p. 1. t. 1. c. 21. §. 3. affirmat se vidisse bullas Martini V. & Eugenii IV. qui dispensarunt: & Nav. sum. l. c. 22. n. 21. refert, ter vel quater ad petitionem suam Paulum III. & Pium IV. dispensasse & Caj. in opusc. t. 1. tr. 18. de matr. qu. unic. refert suo tempore sæpe Pontifices dispensasse: & Enriq. lib. 11. de matrim. c. 8. n. 11. in comm. litt. F. refert Greg. XIII. unica die cum undecim dispensasse: & negari nequit, quin saltem res sit dubia, cum pro hac sentent. sint multi gravissimi DD. & bonæ rationes; ergo in hoc dubio standum est sententiæ Pontificum, qui sæpe dispensarunt. 2. quia Pontificis potestas, quantum licet, extendenda est, in iis præsertim casibus, qui Ecclesiæ utiles sint: credendum enim est, Christum, qui in necessariis non deficit, suo Vicario contulisse plenam potestatem ad ea, quæ bono Ecclesiæ regimini necessaria sunt: sed potestas dispensandi in matr. rato, erat valde necessaria in Ecclesia: sæpe enim eveniet ut matrim. rato dissoluto, multa scandala cessent; quod frequentius contingebat ante Trid. cum multi clam cum una, & ante consummationem publice cum alia contrahebant, & Ecclesia, cum non judicet de occultis, compellebat ad posterius matr. invalidum, & ita manebant hi absque remedio: ergo credendum est Christum hanc potestatem Pontifici contulisse. 3. Pontifex secundum probabilissimam sententiam, potest dispensare in voto solemni religionis, ergo & in matrim. rato. Prob. consequentiam, quia votum solemne est fortius vinculum, cum dissolvat matrim. ratum, & utrobique est traditio, & minor in matr. cum fiat soli homini, in voto autem Deo, & homini: si ergo potest Papa in majus vinculum, quod dissolvit ipsum matrim. ratum, a fortiori poterit in matrim. nam si vinco vincentem te, a fortiori vincam te, l. de accession. ff. de divers. & temp. præsc. Nec obstat, si assignetur ratio differentiæ, eo quod matrim. sit sacramentum: nam disp. præc. n. 7. late probavi ex hac parte non habere indissolubilitatem. Tandem matrim. ratum non habet omnimodam indissolubilitatem, ex parte, qua est in officium naturæ, nec ex ratione sacramenti, nec ex ratione significationis, ut late probavi disp. præc. n. 7. ergo non est cur Pontifex ob Ecclesiæ bonum non possit illud dirimere. Hanc sent. tenent communiter Jurisperiti, ut Gloss. c. Ex publico, de convers. conjug. fin. ubi Goffr. Alanus, & Vincent. Innoc. ib. fin. Host. v. Consummatum, Jo: And. 9. Anton. n. 16. Card. n. 2. q. 1. Abb. fin. & c. Ex parte, el 2. eod. tit. n. 3. & c. fin. de sponsa duorum n. 5. ubi idem Card. fin. & Henr. num. 4. & seq. & Præp. fin. Archid. c. Quapropter, 27. q. 2. Bald. l. Deo nobis in princ. n. 7. C. de Episc. & cler. & l. 1. n. 7. C. de spons. & c. Licet, n. 7. de transl. Episc. Anchar. in repet. tit. super cap. Canonum, de constit. nu. 30. & cap. 2. de convers. conjug. n. 2. dict. c. Ex publico, n. 11. ubi & Benedict. Alex. de Nevo c. Ad dissolvendum, nu. 21. de spons. impub. Imola c. fin. nu. 5. de transact. Felinus c. Quæ in Ecclesiarum, nu. 20. de const. ubi Berojus, n. 104. & Decius 13. & cons. 112. n. 3. & 603. nu. 7. & 681. n. 13. Socinus sen. cons. 28. l. 1. n. 6. Portius cons. 154. n. 7. Curtius junior cons. 173. n. 28. Gozadin. consil. 2. n. 4. & 14. Celsus cons. 105. n. 12. fin. Gratius consil. 1. n. 31. vol. 2. Loazes tract. de matrim. dub. 2. in 2. argum. pro parte affirm. & tract. de nova convers. paganorum, col. 33. Beriachinus in repert. verb. Papa, Rosella verb. Papa, nu. 2. Angel. Matrim. 3. impedim. 13. nu. 3. Silvest. verb. Divortium, qu. 4. Armill. verb. Dispensare, num. 8. Everard. loco a matrimonio carnali, nu. 2. Hieron. de Montel. variar. qu. 46. Conradus in templo judicum, tit. de Pontifice: Selva tract. de jurejur. 4. p. num. 61. Silva nupt. l. 1. n. 152. 156. Brunel. de spons. concl. 1. nu. 11. & concl. 30. n. 1. Nav. lib. 4. cons. in priori edit. tit. de spons. cons. 49. in posteriori, consil. 3. & summ. Hisp. & Latin. c. 22. n. 21. & Hisp. c. 28. addit. ad eumdem nu. Villal. in antinom. juris, lit. P. nu. 33. Greg. Lop. lib. 5. verb. Orden. tit. 10. p. 4. Menoch. cons. 15. n. 9. vol. 1. de præsumpt. lib. 2. præsumpt. 10. nu. 37. & de arbitrariis, l. 2. centur. 5. cas. 455. nu. 4. Borgasius de irregul. p. 6. tit. de spons. fin. Ant. Gabr. tom. 2. commun. in mea edit. lib. 14. verb. Papa fol. 179. & seq. & lib. 11. verb. Matrimonium, fol. 90. Phanuc. de lucro dot. quem refert, & sequitur Barb. ff. sol. matr. 2. p. rubr. 103. & ex Theologis, D. Anton. 3. p. t. 1. c. 2. n. 21. §. 3. censet hanc esse probabilem, & Victoria, Ledesm. citati pro priori sentent. idem censent, & tenent Cajet. opusc. to. 1. tract. 28. de matrim. q. unica, Cathar. lib. 6. contra Cajet. cap. 3. Metina lib. 5. de sacror. hominum continen. cap. 88. Bellar. lib. 2. de monachis, cap. 38. §. Altera solutio, juncto, §. Ad tertiam dico, Enriq. lib. 11. de matr. c. 8. n. 11. & l. 12. c. 5. n. 3. & c. 16. nu. 7. Grisald. verb. Matrimonium, num. 21. Vivald. candel. 1. par. de matrim. num. 32. Philiarch. de offic. sacerd. t. 1. p. 2. l. 2. c. 16. Corona Confessorum 4. part. tract. de matrim. cap. 8. num. 13. Ortiz sum. cap. 17. de matrimon. §. Quando dos.

3 Utrum autem possit Papa statuere, ut matrimonium ratum dirimatur per subsequens copula consummatum? multi affirmant: & potest probari ex cap. Licet de sponsa duorum, fine ubi Alex. III. definit non dirimi ratum per subsequens consummatum, & addit, *licet aliquando a prædecessoribus nostris fuerit aliter judicatum*. Item, quia non videtur major ratio, cur possit cum uno, vel altero dispensare, & non possit id per statutum. Sic tenet gloss. c. Ex publico, de convers. conjug. fin. & ibi Alanus, Laurentius, & Goffredus, & Innoc. fine, Host. super verb. Consummatum, Jo: Andr. nu. 9. Ant. 16. Idem Hostien. cap. fin. de sponsa duorum, v. Volumus, ubi Card. fin. Abb. num. 5. Henricus, nu. 4. & seq. Archid. c. Quapropter, 27. q. 2. Anchar. repetit. super c. Canonum de constit. nu. 28. Et ex Theologis, Metina lib. 5. de sacrorum hominum continent. 87. Et pro hac sententia sunt Doctores, quos infra disp. 19. nu. 2. referam, asserentes Pontificem per generalem legem statuisse, ut professio dirimat matrimonium ratum: si enim potuit eam legem generalem edere, cur non poterit aliam, ut dissolvatur per subsequens consummatum? & hoc est probabile. Imo communis sententia, teste Covar. 4. decr. 2. p. 7. §. 3. n. 5. ajebat ante id cap. Licet, præferri posterius matrimonium consummatum priori rato.

4 Sed verius est non posse, videtur enim quædam dissipatio, & daretur ansa per injuriam dirimendi matrimonia rata, contrahendo, & consummando aliud: nec est verisimile, Christum dedisse eam Pontifici potestatem, quæ in destructionem tendit: sic Covar. d. c. 7. §. 4. n. 15. Matienzo lib. 5. recop. tit. 1. rubr. gloss. 1. nu. 76. Guttier. qu. Canonicis, l. 1. nu. 17. n. 22. Verac. 2. p. specul. art. 27. concl. 4. in 2. ratione. Et ad c. Licet ad dubium nu. præced. pro priori sentent. respondet optime Covar. eod. n. 15. ea judicia Summorum Pontificum non pertinere ad canonum universalium institutionem: sed ad quarumdam litium decisionem. Nec obstat, sententiam principis habendam esse pro lege, l. fi. ff. de legib. eo quod princeps potest legem interpretari, & moderari, & revocare, & sic cum edit sententiam in aliqua lite, videtur velle eum esse legis intellectum: quia id verum est, quando princeps etiam occasione alicujus controversiæ inter privatos, legem explicat, sententiam ferens, ea mente, ut illa interpretatio vim legis universalis habeat: non autem, quando princeps, etiam Pontifex, simpliciter jus dicens privatis, aliquam fert sententiam, non constituens, ut illius interpretatio generalis sit, nec expresse legis verba ita interpretans, ut inde constet voluisse principem illam interpretationem vim legis obtinere: unde verbum Judicasse, d. c. Licet, idem est, quod opinatos esse, ut tradit etiam Cano lib. 6. de locis Theol. cap. 8. hæc Covar. ibi: & de sent. supremi Senatus, quod non faciat legem, eo quod non potest inducere stylum derogando jus, docet optime Greg. Lop. lib. 9. tit. 39. par. 3. verb. Como a los ricos.

5 Ad argum. prioris sent. proposita num. 1. respondetur: matr. esse indissolubile, ad hunc sensum, ut non possit ab ipsis contrahentibus dissolvi: & hoc sufficit, ut per se, & ex sua natura tale dicatur: hoc tamen non impedit, quin a superiore potestate, scilicet Pontificia, possit dirimi: sicut votum ex natura sua dicitur vinculum perpetuum, eo quod vovens nequeat se ab ea obligatione eximere, quamvis superior dispensare possit. 1. Ad confirm. dico, non esse de matrimonii essentia omnimodam indissolubilitatem, sed ut dissolvi nequeat, instar aliorum contractuum: ut dixi disp. præced. nu. 10. vel 2. responderi potest, non posse tollere manente re ipsa, non enim dispensare potest, ut sit matrimonium, & ad tempus contractum: verum quando dispensat in perpetuitate, non manet matrimonium, sed uterque conjux a vinculo solvitur: sicut Pontifex efficere nequit, ut aliquod votum sit, & minime obliget: dum autem dispensat in voto, simul obligationem, & votum ipsum destruit. Ad 2. Gratianus quem refert, & late defendit Metina lib. 5. de sacror. hominum continent. a cap. 57. usque ad 74. docet, differre essentialiter matr. ratum, & consummatum, & cap. 72. dicit esse probabile: licet dicat verius esse, non differre essentialiter: quia alias matrimonium beatæ Virginis non fuisset verum completa essentia: & ita dicendum est cum Bellar. lib. 2. de monachis, cap. 38. in solut. ad 1. non differre accidentaliter, neque etiam essentialiter, sed differre tanquam perfectum integraliter, & imperfectum: eo quod pars integralis aliqua in ipso desideretur: ut homo integer, & manu orbatus: & constat ex modo loquendi textuum, & DD. qui dividunt matrim. in ratum, & consummatum: cum tamen nullus appellet sacerdotium ratum, ante primam celebrationem: ad denotandum non esse pure accidentalem eam differentiam, sed desiderari in matrimonio rato perfectionem non essentialem: habet enim integram essentialiter rationem signis, quæ essentialiter constituit sacramentum, non tamen habet integralem perfectionem; quæ complet illud in sua perfecta significatione unionis Christi cum Ecclesia per carnem, in qua fundatur omnimoda indissolubilitas matrimonii consummati: & hinc etiam patet, consummationem non esse perfectionem pure accidentalem, quia per matrim. datur potestas ad corpus, consummatio vero tendit ad tradendam possessionem: sicut ergo in venditione, per quam traditur potestas ad usum rei, non est omnino accidentaria traditio possessionis, sed integraliter completur, quæ prius essentialiter erat perfecta venditio: sic per eam consummationem, per quam traditur possessio corporis, completur integraliter matr. quod prius essentialiter perfectum erat. Ad 3. dico illum locum intelligi de matrim. consummato: ut late probavi disp. præced. num. 7. Ad 4. dic duplex esse jus divinum naturale, aliud absolutum, ut de non fornicando, non mentiendo; & in hoc nullo modo Pontifex dispensat: aliud fundatum in actu, vel contractu humano, ut est votum, & matrimonium ratum; & in hoc potest dispensare: & sicut quando dispensat in voto, non dicitur absolute dispensare in jure naturæ; ex quo votum habet obligandi vim: sed tollit obligationis fundamentum, quam homo actu humano sibi imposuit, ut bene docet D. Thom. 2. 2. qu. 88. art. 10. ad 2. ita dum dispensat in matrim. rato, id facit destruendo fundamentum contractus humani: & quamvis idem fundamentum contractus humani sit etiam in matrim. consummato, Christus tamen noluit eam potestatem Pontifici concedere, ratione significationis: ut dixi disp. præced. num. 7. Ad 5. dico, licet matrimonium ratum sit sacramentum, pendere tamen ex contractu humano, tanquam ex fundamento, super quem Papa potest: & ob id potest inhabilitare personas ad contrahendum matrimonium, non tamen ad Baptismum, vel Ordinem: quare dicendum est, Ecclesiam nihil posse circa sacramenta, a contractu humano independentia, posse tamen quando ex illo pendet, non directe, sed indirecte, dissolvendo contractum semel initum, vel impediendo ne ineatur. Ad 6. distinguo majorem, non esse minoris efficaciæ, id est, non est minoris virtutis, & dignitatis, concedo: sed est multo majoris; longe enim dignius est facere sanctum per gratiam, quod præstat sacramentum: licet ea sanctitas prius amitti possit, quam facere sanctum ministerialiter: non est tamen minoris efficaciæ, id est, non est minus superabilis: nego, quia matrim. ratum non aliam sanctitatem efficit, quam gratiam conferre, & repræsentare unionem Christi per gratiam, quæ non tantum exigit subjectum, id est, conjugum subsistentiam, sed etiam immutationem voluntatis, qua mutata cessat hæc sanctitas. Effectus autem consecrationis calicis, & benedictionis aliarum rerum, tantum pendet ex subjecti consistentia, qua manente, separari non potest. Ad 7 negatur conseq. quia corpus Christi habet necessariam connexionem cum speciebus, dum manent: non autem matrimonium ratum cum personis. Ad 8. negatur sequela, quia dum dicunt DD. posse Episcopum in sua diœcesi, quidquid Pontifex in toto orbe, excipiendæ sunt res tam arduæ, circa quas de Pontificis potestate merito dubitatur: cum enim deceat gravissimas causas summo Christi vicario reservari, censendum est Christum reservasse. Vel 2. dic reservari jure Pontificio, nempe, cap. fin. de transact. ut dicam in solutione ad sequens argum. item, cap. Ex litteris, el 2. de spons. Ubi præcipit Pontifex Episcopis, ut compellant ad sponsalia servanda, nedum ad matrim. ratum: in qua lege, cum sit superioris, nequit Episcopus dispensare. Ad 9. dic intelligi eum textum de judice inferioris, ut docet ibi Imol. num. 5. & patet ex contextu, Pontifex enim ibi instruit judices Ecclesiasticos, quando partes ad compositionem, & transactionem inducere debeant. Ad ultimum, Metina lib. 5. de sacror. hominum continent. cap. 89. affirmat matrim. ratum dissolvi per subsequens consummatum, nisi obstaret cap. Licet, de sponsa duorum: & sic contrahentes matr. ratum solo jure Pontificio esse inhabiles ad aliud contrahendum: idem dixerat cap. 73. Sed hæc sentent. non est vera, primum enim matrim. ratum, jure naturali, & divino impedit valorem sequentis consummati. Prob. quia copula non confirmat matrimonium, nisi quod prius fuerat ratum, sed posterius est jure naturæ irritum: quoniam traditio alicui facta, impedit jure naturæ ejusdem rei alteri fieri traditionem: & ita ipse Metina sensit lib. 4. controv. 7. c. 39. Unde ad argumentum, negatur sequela: & ejus probatio falsum supponit, nam posterius matrim. consummatum, cum sit prorsus irritum, non est vinculum, nedum indissolubile.

DISPUTATIO XV.

Utrum desideretur justa causa, ut valeat Pontificis dispensatio in matrimonio rato?

SUMMARIUM.

Referuntur diversæ sententiæ, num. 2. & 4.
Quid sit potestas ordinaria, & absoluta principis, 3.
Probabile est, validam esse dispensationem absque justa causa, 5.
Verius est, non tenere, 6.
Ad hanc dispensationem non exigitur mutuus conjugum consensus, 7.

1 IN hac quæstione satis confuse loquuntur DD. & vix est, qui explicet quid sentiat. Et ita varii sunt dicendi modi: quidam docent posse ad libitum dispensare: ita ut dispensatio teneat: quia indissolubilitas matrim. rati est de solo jure humano, sic clare videntur tenere gloss. c. Ex publico, de convers. conjug. fin. & ib. Alnus Goffredus, & Vincentius; dicunt enim habere Pontificem plenissimam potestatem circa matrim. ratum, quia naturam sortitur ex constitutione Ecclesiæ: idem tenent dicere DD. quos retuli hoc 2. lib. disp. 13. num. 6. asserentes indissolubilitatem matrimonii rati, esse ex jure humano: receptissimum enim est dispensationem principis in jure humano absque causa, validam esse, licet princeps dispensando peccet. Et ita tenent expresse Berojus, cap. Quæ in Ecclesiarum, de constit. nu. 104. Gregor. Lopez, lib. 5. verb. Orden. t. 10. part. 4. Metina lib. 5. de sacror. hominum continent. cap. 89. quod Gregor. Lopez & Metina temperant, dummodo mutuus conjugum consensus accedat. Immo Enriq. lib. 11. de matr. c. 8. n. 11. in commento lit. G. quamvis fateatur hanc indissolubilitatem esse de jure divino, & naturali, ait videri esse validam dispensationem concessam absque causa, quia sic expediebat, ut Christus concederet Pontifici: ne res essent perplexæ.

2 Alii vero dicunt de potestate ordinaria non posse Pontificem dispensare, quamvis accedat mutuus contrahentium consensus, absque alia causa, posse tamen hoc accedente de potestate absoluta. Sic Host. c. Ex publica, de convers. conjugatorum, super v. Consummatum: ubi Jo: Andr. nu. 9. Anton. num. 16. Henric. cap. fin. l. de sponsal. duorum, a num. 4. Sotus in senior cons. 28. n. 6. vol. 1. Nata cons. 290. col. 2. ad fin. lib. 2. Gozadin. cons. 2. num. 14. Rosella, v. Papa, nu. 2. Angel. Matrim. 3. impedim. 13. num. 3. Sylvester v. Divortium, qu. 4. Brunellus de spons. concl. 30. nu. 1. Villalob. in antinomia, juris lit. P. num. 33. Et ad hanc distinctionem videtur alludere Anchar. repetit. super cap. Canonum, de constit. nu. 30. ubi dicit de potestate ordinaria non posse dispensare absque magna causa, quasi aliud sentiens de absoluta: & Portius cons. 154. num. 7. ubi ait posse de potestate ordinaria legitima existente causa, præsertim accedente utriusque consensu, ubi de potestate absoluta videtur censere non exigi causam: eadem distinctione utitur Metina lib. 5. de sacror. hominum contin. cap. 89. dicit tamen de potestate absoluta, nec causam, nec mutuum consensum desiderari, de ordinaria vero exigi causam. Qua distinctione potestatis ordinariæ, & absolutæ principis passim juris utriusque DD. utuntur, ut potest videri in Covarr. 3. variar. cap. 6. num. 8.

3 Et si quæras quid sit potestas ordinaria, & quid absoluta? Baldus lib. 2. num. 42. Cod. de servit. & aqua, sic definit potestatem principis absolutam; Est arbitrii plenitudo, nulli necessitati subjecta, nullisque publici juris regulis limitata: ut sic facta mentione talis potestatis, nulla exceptio objici valeat, nihilque opponi possit, nec dici, cur ita facis? ut docet ibi Baldus numer. 39. gloss. capit. Quanto, de authoritat. & usu pallii, verb. veri, & leg. Relegati fine, ff. de pœnis, Abbas consil.

*consil.*84. *lib.*1. *& c. Ad hæc*, *nu.*7. *de rescript. Ant. c. Constitutus*, *nu.*3. *de relat. dom. Decius*, *c. Quæ in Ecclesiarum*, *nu.*98. juncto, *nu.*103. *de constit. Felin. c. Nonnulli*, §. *Sunt & alii*, *n.*50. *de rescript. Angel. Alber. Alex. Hippolyt. Matt. de Afflict. Capitius*, *Gozad. Cast.* quos refert *Pinel. statim allegandus*: *idem Nata consil.*512. *nu.*16. ubi ait, si aliquid etiam leve principem moveat, posse principem de plenitudine potestatis facere quidquid libet, juxta illud antiquum axioma, *si libet*, *licet*. Eamdem potestatis absolutæ definitionem sequuntur *Joan. Lup. lib.*1. *Tauri*, *nu.*5. *Rosas epitome successionum c.*23. *n.*75. Et ad hoc tendit, quod affirmabat Caligula Alexandro Magno, ut refert *Svetonius in Caligula*, *cap.*29. *Memento tibi omnia*, *& in omnes licere*: eo quod principes erant instar deorum in terra. Sed hanc distinctionem potestatis ordinariæ, & absolutæ, in principibus sic intellectam, merito vocant falsissimam, *Paris. ad Decium*, *d. c. Quæ in Ecclesiarum*, *lit. T. Fortun. l. Gallus*, §. *Et quid si tantum*, *n.*290. 301. 302. *&* 311. *ff. de l. & post. Alciat. & alii*, quos referunt, & seq. *Covar. 3. var. c.*6. *n.*8. *Pinell. de rescind. vend.* 1. *p. rub. c.*2. *n.*24 *& seq. Sarmien.* 1. *select. c.*8. *n.*20. *Rimunal. d. cons.*5. *n.*48. *& seq. vol.*1. *Mench. l.*1. *contr. illust. c.*5. *n.*15. *& seq. Matien. l.*5. *recop. t.*10. *l.*3. *gl.*12. *n.*2. *Spino speculo test. glos. rubric.* 1. *p. n.*25. *Mendoza l.*1. *de pactis c.*5. *n.*35. quia quod princeps facere potest, etiam juri humano derogans, id ad ordinariam principis potestatem pertinet: cum enim sit supra jus hominum, ex sua ordinaria potestate, sicut potest illud condere, potest abrogare: quod autem contra jus naturale, & divinum potest de facto, non ad potestatem, sed ad tyrannidem spectat: id enim possumus quod jure possumus, *l. Sed licet*, *ff. de offic. præsidis*: unde rex Antigonus etiam lumine fidei destitutus (ut de illo refert *Plut. in apophtegm.*) cum sibi diceretur, regibus quidquid volunt licitum esse, respondit, inter barbaros, ac tyrannos ita censeri, ceteris autem solum justum, & honestum licere. Et Chilon, quidam ex septem sapientibus, (ut refert *Cælius Rhodig. l.*8. *lect. antiq. c.*1.) dicebat, Principes instar Deorum esse, quia tantum id, quod justum est, exequi debent. Et *Cornel. Tacit. l.*3. *annal.* refert Cajum Sestium disseruisse, principes instar Deorum esse, sed nec a Diis nisi justas preces exaudiri: & *Cicero* 3. *de leg.* de simili potestate sic ait: *Mihi quidem pestifera videtur*, *quippe quæ in seditionem nata sit*: *& Arist. lib.*5. *Politic. c.*10. sic inquit: *Est tyranno voluptas proposita*, *regi honestas*: & optime id explicatur *l.*14. *tit.*5. *p.*2. ibi, *con esto concuerda la palabra de Justiniano*, *que dixo en razon de se y de los otros Emperador*, *y Reyes*, *aquello era su poder*, *que podia hazer con derecho*. Alio modo potest explicari hæc potestas absoluta, ut sit ea, qua princeps in jure humano dispensat absque causa: tenet enim talis dispensatio, quamvis princeps peccet: sed hæc expositio non placet *Covar. d. c.*6. *nu.*8. quia adhuc ea potestas ordinaria est in principe. Verum hanc distinctionem hoc secundo modo intellectam, credo optime defensari posse: sicut enim Theologi dicunt aliqua posse fieri a Deo de potestate ordinaria, quæ scilicet, ordine, ac rerum naturali cursu immutato, potest Deus facere: alia vero de potestate absoluta, quæ potest supra rerum ordinem universum: ita potestas ordinaria principis potest dici, ea qua princeps utitur, secundum leges humanas, quibus quoad vim directivam astrictus est: quando scilicet dispensat ex causa justa in jure humano: potestas vero absoluta, quando non astrictus iis legibus, valide dispensat in jure humano absque causa. Et ita dicetur non posse principem aliquid facere ex potestate ordinaria, quando non potest omnino licite facere, ut dispensare in lege humana absque causa, licet si faciat, validum sit: & dicetur posse de potestate absoluta, quando potest valide, non tamen juste, ut in eadem dispensatione in jure humano, absque causa, contingit: ex neutra autem potestate dicetur posse facere, quod nec juste, nec valide facere potest, ut si in lege naturali dispensabili dispenset absque causa.

Alii vero dicunt, posse Pontificem dispensare in matrimonio rato absque causa justa: verum non explicant, valida sit, necne, dispensatio aliter facta. Sic *Anchar. c. Ex publico*, *de convers. coniug. nu.*11. *Imol. c. fin. de transact. nu.*5. *Felin. c. Quæ in Ecclesiarum*, *de constit. nu.*20. *& consil.*26. *nu.*19. *Navar. summ. c.*12. *n.*21. *& lib.*4. *consil. t.*1. *de spons. in priori edit. cons.*49. *in posteriori*, *cons.*2. Et ex Theologis, *Caiet. opusc. t.*1. *tr.*28. *de matrim. qu. unic. Philiar. de offic. sacerd. t.*1. *p.*2. *l.*2. *c.*16.

5 Sit tamen I. Conclusio. Probabile est valere dispensationem Pontificis in matrimonio rato absque causa justa concessam. In hac conclusione conveniunt DD. primæ, & secundæ sent. relati num. 1. & 2. Et ratio est quia est probabile, indissolubilitatem talis matrimonii esse de jure humano: cujus sent. patronos retuli hoc 2. lib. disp. 13. num. 6.

6 II. Conclusio, verius est non tenere dispensationem absque causa justa factam, quia ut dixi dict. disp. 13. nu. 7. hæc indissolubilitas est de jure naturali, & divino, in quo dispensatio Pontificis absque causa justa concessa est prorsus irrita: ut Theologi communiter, ac juris utriusque DD. fatentur: & ita dicunt Pontificiam dispensationem in voto simplici, sine justa causa, esse irritam: quia voti vinculum est de jure naturali, & divino. Pro hac sent. sunt aliqui dicentes non esse tutum dispensatum absque causa. Sic *Anchar. cons.* 39. *fin. Decius*, *consil.*112. *nu.*3. *Covar.* 4. *decret.* 2. *p. c.*7. §. 4. *n.*14. *Anton. Gabr. to.* 2. *comm. in mea edit. lib.*14. *verb. Papa fol.* 179. *& seq. Lud. Lop.* 2. *p. instr. de matrim. c.*14. *fol.*1167. Ejusdem sent. videntur alii asserentes non posse Pontificem dispensare absque justa causa: ubi clare videntur negare potestatem, & consequenter dicere, non tenere factum. Hi sunt *Abb. c. Ex parte*, *el* 2. *de convers. conjug. n.*3. *Curtius jun. cons.* 170. *n.*28. *Hugo cons.*105. *n.*12. *Menoch. de præs. l.*2. *præsump.* 10. *n.*37. *Barb. ff. solut. matrim.* 2. *p. rubr. n.*105. & ejusdem sent. videntur DD. 3. opinionis, allegati num. 4.

Ultima concl. ut Pontifex dispenset in matrimonio rato, non 7
desideratur mutuus conjugum consensus, sed existente causa justa potest Pontifex dispensare, altero eorum invito. Quia, si causa justa subsit, repugnantia alterius nequit Pontificis potestatem impedire, ne alteri habenti justam dissolvendi causam, petentique dispensationem, consulat. Sic *Gozadin. cons.* 2. *nu.*14. *Ant. Gab. to* 2. *comm. lib.*11. *v. Matrim. in mea edit. fol.*90. Et ex Theologis, *Metina*, *lib.*5. *de sacr. hominum contin.* 89.

DISPUTATIO XVI.

Quæ sunt causæ justæ, ut Pontifex dispenset in matrimonio rato?

SUMMARIUM.

Opinio, asserens non sat esse quamcumque causam justam, reprobatur, num. 1.
Est causa justa, notabilis error in qualitate, & quantum expediat æqualis conjugum conditio, 2.
Quid, de timore scandali futuri, & fornicationis, vel rixarum, 3.
*Quid, quando vir nititur uxorem expellere, num.*4. *& quid, si alteri superveniat lepra*, 5.
Quid, de impotentia superveniente, nu. 6. *& quid, si alter asserat se caruisse animo contrahendi*, 7.
Quid, si vir fiat Episcopus, num. 8. *& an sit causa justa, mutuus consensus*, 9.

QUidam dicunt non satis esse quamcumque causam, sed debere esse similem expresse a jure, *c.*2. *de conv. conjug.* quæ 1
est religionis ingressus. Sic *Abb. c. Ex parte*, *el* 2. *nu.*3. *de conv. conjug. & c. Ex publico*, *in fin. eod. tit.* dicit non posse Pontificem dispensare in matrimonio rato, nisi causa religionis ingressus. Sed merito *Barb. ff. solut. matr. rubr.* 2. *p. num.*105. hanc sententiam reprobat, dicens, sufficere alias justas causas, quod clarius constabit ex causis assignandis statim.

Prima ergo causa justa, est notabilis in qualitate disparitas, 2
quando scilicet, contrahentes sunt notabiliter conditione impares: & affectione cæca, & levitate quadam ducti, ineunt matr. Et ratio est, quia matrim. ordinatur ad mutuam amicitiam, & concordiam; quæ inter beatitudines refertur, *Eccli.*25. ibi, *Vir, & uxor, sibi bene consentientes*: nihil autem magis mutuæ amicitiæ, ac benevolentiæ, quam conjugum disparitas, adversatur, & ita *Eccl.*13. habetur, *Omne animal diligit sibi simile*, *& Plato*, *lib.*8. *de legibus*, sic ait, *Amicitia, quæ a dissimilibus proficiscitur, dura, & aspera est*. Item, quia experientia teste, imparia connubia infelices exitus habent, & ob id valde reipub. expedit pares cum paribus copulari: unde Cleobulus unus ex septem sapientibus ajebat, *Par pari jugato conjux, quod impar est, dissidet*: & Chilon unus etiam ex illis, idem præcipiebat. Et *Euripides in Rhæso*, *Nolim ex potentioribus me ducere uxorem*, & *Ovid in ep. Deianiræ ad Herc. Si qua voles apte nubere, nube pari*. Quod adeo verum est, ut connubia inter impares, minus legitima existimarentur: ut docet *Leo Pontif. epist.*70. *ad Rusticum*, & habetur *c. Non omnis*, 32. *q.* 2. ibi, *nuptiarum autem fœdera inter æquales, legitima sunt*: quasi contrarium sit inter inæquales. Et apud Romanos nuptiæ inter impares, illegitimæ habebantur: ut testatur *Boetius in comm. Topicorum Ciceronis*: ad quod comprobandum plura alia congerit *Tiraq. lib.*5. *connub. gl.* 1. *p.*5. *n.*16. *& seq.* Et hanc causam esse sufficientem docent *Socinus sen. cons.*28. *nu.*8. *l.*1. *Decius cons* 112. *ad fin. Felin. cons.*26. *n.*20. *Celsus cons.* 105. *n.*12. *in fin. Navar. l.*4. *cons. t.* 1. *de spons. in* 1. *edit. cons.*49. *in* 2. *cas.* 3. *Menoch. cons.*385. *n.*4. *vol.*4. *& de præsumpt. l.*2. *præs.*10. *n.*30.

II. Causa est, gravis timor scandali magni futuri: quia id 3
cedit in magnum damnum commune, indeque rixæ graves, & neces oriri solent. Sic *Felin. consil.*26 *nu* 19. *Portius consil.*154. *num.*22. *&* 24 *Menoch. d. præsump.* 10. *num.*42. *& de cons.*385. *n.* 7. ubi cum Portio addit, hoc futurum scandalum esse, ob fornicationis timorem, eo quod conjuges valde sibi displiceant, vel ob inimicitias, quæ inter eorum conjugatos, vel eorum consanguineos timentur.

Hinc fit, esse justam causam, quando vir omni conatu quærit uxorem repellere, absque sanioris mentis probabili spe: 4
unde ex dissidentium voluntate, facile ad discordiam perpetuam, & uxoris necem devenire potest: & ratio est, quia sicut duorum in unum consensus amicitiam, ita dissensus discordias, & inimicitias perpetuas parit. Quare Eugen. IV. dispensavit ob odium, quod inter conjuges emerserat; ut refert *Borgasius de irregul. part.* 6. *tit. de sponsal. num.* 74. Sic tenent *Felin. cons.*26. *num.*19. *Cajetan. opuscul. tom.*1. *tract.*28. *de matrim qu. unic. Menoch. d. consil* 385. *num* 7.

III. Causa est, lepra alteri superveniens. Quia cum matrim. 5
ordinetur ad mutuum corporis usum, ratione sobolis procreandæ, & ardoris libidinis extinguendi, lepraque hunc usum impediat, ob magnum contagionis periculum, matrimonii finis non obtinebitur, sic *Borgasius dict. num.* 74. dicens Martinum V. dispensasse ob lepram.

Hinc infertur, esse justam causam, impotentiam supervenien- 6
tem

tem ante matrim. consummatum, quia cessat matrimonii finis. Sic *Enriquez l.*11. *de matr. cap.* 16. *num.*7. & credo hoc sentire *Alciatum resp.* 21. *nu.* 16. *& Menochium de præs.* 16. *nu.* 44. ubi dicunt sterilitatem esse justam causam, nam si sterilitatis nomine impotentiam non intelligant, nescio qualiter alia sterilitas ante consummationem, cognosci valeat.

7 IV. Causa est, quando alter conjugatorum asserit se non habuisse animum contrahendi. Sic *Socin. senior. cons.*28. *nu.* 6. *&* 7. *l.*1. *Felin. cons.*25. *n.*21. *vers. Præterea dato*, *Menoch. ea præsumpt.*10. *n.*45. *& de cons.* 385. *n.* 12. quod credo verum, quando nullo modo induci possit, ut præstaret verum consensum, & ita ex eo matr. tam coacto graves inimicitiæ orirentur.

8 V. Causa est, ut vir efficiatur Episcopus. Sic *Paulus Borgasius*, *d. t. de spons. fine*. Sed id credo verum, quando iis dotibus esset præditus, ut valde necessarium esset ad bonum commune, eum in Episcopum promoveri: tunc enim causa bono communi consulendi, esset sufficiens: extra hunc autem eventum, non video, cur sufficiat.

9 Ultima causa est, mutuus conjugum consensus, sic *Greg. Lop. l.* 5. *verb. Ordent. t.* 10. *p.* 4. *Metina l.* 5. *de sacr. hominum*, *continentia cap.* 89. Sed hanc causam non esse sufficientem, testantur multi DD. quos retuli disp. præc. nu. 2. asserentes non posse Pontificem ex potestate ordinaria ob mutuum contrahentium consensum dispensare, si alia causa non subsit, & quamvis fateatur posse ex potestate absoluta, id evenit, quia credunt nullam requiri causam, ut valide dispenset, ut ibi explicui. Et *Barbos. ff. sol. matr. rubr.* 2. *p. n.*105. dicit non esse causam sufficientem mutuum consensum. Et ita credo, nisi quando inter se ita essent discordes conjuges, ut infelices exitus absque remedii spe timeantur: ut dixi num. 3. & 4.

DISPUTATIO XVII.

Utrum possit Pontifex dispensare in matrimonio consummato infidelium, dum ambo baptizantur?

SUMMARIUM.

Ratio dubitandi proponitur, num. 1.
Potest Pontifex dispensare, 2.

1 VIdetur non posse, cum per Baptismum fiat illud matrim. sacramentum, ut dixi hoc l. 2. disp. 9. n. 5. & cum sit jam consummatum, repræsentabit indissolubilem unionem Christi cum Ecclesia, quæ est ratio omnimodæ indissolubilitatis matrimonii consummati, ut dixi disp. 13. num. 7.

2 *Navar. lib.* 3. *cons. t. de convers. infidel. in* 1. *edit. cons.* 1. *in* 2. *cons.* 3. *in solut. ad* 2. *dub. a num.*12. late hoc tractat, & defendit posse. Cujus sententia mihi placet: quia firmius est matr. ratum fidelium, quam consummatum infidelium, majorem enim firmitatem sortitur matr. ex ratione sacramenti, quam habet ratum fidelium, quam ex ratione contractus naturalis, quam solum habet matrim. consummatum infidelium: ut late probavi d. disp. 13. n. 7. & ita illud dicitur ratum, hoc autem non, *c. Quando de divort. & c. si.* 28. *quæst.* 1. cum ergo possit Pontifex dispensare in matrim. rato fidelium, poterit a fortiori in consummato infidelium: & favet *Abb. c. Ex publico*, *n.*14. *de convers. conjug.* ubi ait ex statuto Ecclesiæ dissolvi matrim. per conversionem solam alterius conjugis. Nec obstat arg. propositum, quia cum post factum sacramentum, nondum consummatum sit, non repræsentabit indissolubilem unionem Christi cum Ecclesia per carnem: & ita reputabitur tanquam matrimonium ratum fidelium, quod Pontificis dispensatione dissolvi possit.

DISPUTATIO XVIII.

Utrum per professionem religionis dissolvatur matrimonium ratum?

SUMMARIUM.

Variæ sententiæ referuntur, num. 1. *&* 2.
Dirimitur per professionem, num. 3. *& ibi, remissive, quid quando ambo conjuges profitentur, vel manens in sæculo vovet continentiam.*
An dirimatur per vota religiosorum tertii ordinis D. Francisci, vel Beatarum D. Dominici, 4.
Quid, per professionem vitæ Eremiticæ, 5.
Quid, per vota coadjutorum formatorum Societatis Jesu, 6.
Quid, per professionem clericorum, vel monialium ordinum militarium, 7.
Quid, per professionem equitum ordinum militarium, & an hi sint veri religiosi, 8.
Quid, per promotionem ad ordinem sacrum, num. 9. *& ibi, quid de Episcopatu.*

1 QUidam (ut refert *gloss. c.* 2. *de convers. conjug. verb. Remanere*) dicunt, non dirimi vinculum matr. rati, professione, sed manere inefficax, itaut manens in sæculo possit aliud inire matrimonium. Hos sequitur *Henric. de Gandavo quodlib.*5. *q.*39. *Erasmus in c.* 7. *ad* 1. *Corint. Fran. Torrensis de VI. synodo*: & in eamdem sent. propendet *Claud. Espencæus l.*6. *de continentia*, *c.*4. ducuntur autem aliquibus ex argumentis, quibus hoc 2. lib. disp. 13. nu. 14. probavimus; matrimonium ratum esse indissolubile.

Alii vero (ut testatur *Panorm. c.* 2. *nu.* 8. *de convers. conjug.*) dicunt dirimi vinculum, non tamen statim professione secuta, sed dum manens in sæculo, alio alligatur matrim.

Sit tamen conclus. vinculum matrimonii rati omnino dirimitur solemni religionis professione alterius sponsi: & conjux manens in sæculo est omnino a vinculo solutus, potestque libere ad alias nuptias transire. Conclusio est de fide: definita est ab Eusebio Papa, & habetur *c. De spons.*27. *q.*2. *& a D. Greg. Pap.* & habetur *c. Decreta legalia* 27. *q.*2. *& a Jo. XXII.* & habetur in ejus *extravag. Antiqua*, *de voto*: *& ab Alex. III. c.*2. *& c. Ex pub. de convers. conjug. & ab Innoc. III. c. ex parte tua eod. tit.* & novissime in *Trid. sess.* 24. *de matr. can.* 6. ibi, *si quis dixerit matr. ratum, non consummatum, per solemnem religionis professionem alterius conjugis non dirimi; anathema sit*. Et quamvis alii textus dicebant per ingressum religionis dirimi, intelligebant de ingressu cum effectu, nempe professione secuta, & ita explicuit *d. extravag. Antiqua*, *& Trid.* 2. Prob. ex usu Ecclesiæ, & Apostolorum traditione a Christo derivata: nam in primis D. Joan. teste *Beda in prœmio in D. Joan.* & aliis authoribus gravibus nostri temporis, id attribuentibus D. Aug. & D. Hieron. in eodem proœmio vocatus est ex nuptiis ad Apostolatum, quamvis (ut verum fatear) hoc non ita sit, optime ut probat *P. Toledo in c.*2. *D. Joan. annot.* 13. *& Cæs. Baronius t.* 1. *annal. Eccl. ann.*31 *Christi*, *f.* 106. *ex D. Hier. & D. Aug.* nec illa proœmia sunt ipsorum: & ex D. Ignatio, & ideo omisso hoc exemplo, afferam alia. D. Theclam ante matr. consummatum, convertit D. Paulus, & ad vitam perfectiorem vocavit, teste *D. Ambr. l.* 2. *de virgin. & Epiph. her.* 58. & D. Alexius, Divaque Cæcilia a nuptiis ad statum perfectiorem transierunt: ut testantur *Metaphrastes*, *& Surius in eorum vitis*, & idem de Machario refert *D. Hieron* ut affert *Gratianus c. Scripsit* 27. *qu.* 2. & alia hujusmodi exempla referunt *D. Greg. l.*3. *dial. c.* 14. *& D. Aug. l.* 8. *confess. c.*6. Quæ autem sit ratio, dicam tota disp. seq. & utrum idem sit, quando ambo sponsi profitentur, vel manens in sæculo, continentiam vovet, dicam disp. 20. 3

Hinc infertur, non dirimi matrim. ratum, per vota emissa 4
a quibusdam feminis religiosis D. Dominici, quas Beatas vocant, & a quibusdam viris tertii ordinis D. Francisci: non enim solemniter profitentur: sed votis simplicibus se alligant. Sic *Abb. c. Ex parte*, *el* 2. *n.* 13. *de convers. conjug. Ang. Matr.* 4. *n.*18. *Lancel. instit. juris canon. l.*2. *t. de spons. verb. Religionem.* Et ex Theologis, *Victoria sum. de matr. num.* 256. *Sotus* 4. *d.* 27. *q.* 1. *art.* 4. *vers. Hinc fit neutrum*, *Ledes.* 2. *p.* 4. *q.* 63. *art.* 3. *fin.* Sunt tamen aliquæ Beatæ tertii ord. D. Francisci, quæ in communi vivunt, profitenturque, & sunt veræ religiosæ, ut declaravit Sixtus V. sic *Ang. ibi* & idem dicit *Sotus* 7. *de just. q.* 5. *ar.* 3. *ante arg. fol.* ... de quibusdam Beatis D. Dominici clausuram servantibus: unde bene dicunt harum professione dirimi matrim. ratum.

2. Infertur, quod quamvis olim dirimeretur vitæ Eremiticæ 5
in manu Episcopi, vel alterius prælati, professione, eo quod solemnis esset; jam tamen non est, sed eremitæ aut nulla, aut simplicia voti emittunt: unde iis votis non dirimitur matrim. ratum. Sic *Sotus* 7. *de just. q.* 5. *art.* 3. *ante argum. solutionem*, *Enriq. alios referens l.* 11. *de matr* 8. *nu.* 7.

3. Infertur, quamvis dirimatur per solemnem trium, aut 6
quatuor votorum professionem, in Soc. Jesu; non tamen dirimi per vota coadjutorum formatorum in ea emissa, sunt enim simplicia, quamvis publice emittantur: ut testatur Greg. XIII. in Bulla eidem concessa, incipienti, *Ascendente Domino*: & habetur *part.* 5. *constit. ejusdem Soc. c.*4. *init.* Sic *Enriquez eod. c.*8 *n.*7.

4. Infertur dirimi per monialium, & clericorum ordinum 7
militarium sub clausura viventium, professionem, quia solemnis est. Et in hoc conveniunt omnes, & *Sotus* 4. *d.* 27. *q.* 1. *art.* 4. *vers. Hinc fit neutrum.*

De professione autem equitum militarium ordinum, qui non 8
vivunt in communi, nec uxores ducere possunt, ut sunt equites D. Joannis, non constat inter Doctores: quidam enim dicunt, ea non dirimi matrim. ratum: quia non vere, & proprie religiosi sunt, cum proprium retineant, moreque sæcularium extra clausuram vivant. Sic *Sotus loco proxime cit. & vers. Quo circa si mea*, *& l.* 7. *de just. q.* 5. *a.* 3. *ad* 3. *vers. Quod si contra.* Sed dicendum est dirimi, quia est solemnis professio alias non dirimeret matr. contrahendum: juxta *c. un. de voto in* 6. & hi equites vere, & proprie religiosi sunt: ut tenent multi, quos refert, & sequitur *Bobadilla in sua polit. l.* 2. *c.* 19. *nu.* 11. Sic docent *Navar. l.* 3. *cons. t. de convers. conjug. in* 1. *edit. cons.* 1. *in* 2. vero, *cons.* 2. *Corduba sum. q.* 178. *fin. Enriq. l.* 11. *de matr. c.* 8. *nu.* 6. & refert ita fecisse D. Gastonem Ducæ Metinæ, sapientium consilio habito: & in statutis horum equitum per Pontificem approbatis haberi, posse ad eam religionem admitti alligatos matr. rato: idem tenet *Lud. Lop.* 2. *p. instruct. de matr. c.*48. *ad* 4. *Petr. de Ledes. de matr. q.* 61. *a.* 2. *ad* 4. *Barbosa ff. solut. matr. rubr.* 2. *p. nu.*82. *Manuel.* 1. *t. sum.* 2. *edit. c.* 239. *nu.* 2. *& super Bullam cruciatam*, §. 9. *n.*123. *Vega l.* 6. *sum. casu* 17.

Ultimo infertur, matr. ratum minime dissolvi per ascensum 9
ad ordinem sacrum, vel Episcopatum: ut de ordine sacro definitum est a Joan. XXII. *extravag. Antiqua*, *de voto*: & de Episcopatu constat ex Ecclesiæ usu: fatenturque omnes, quia jus de sola solemni professione hoc statuit: votum autem ordini sacro

cro

cro annexum est per accidens, solemne: nec status Episcopalis, quamvis perfectior sit, cum mors spiritualis non sit, repugnat ex natura rei conjugio, sed ex solo Ecclesiæ statuto: vitæ autem monasticæ repugnat ex natura rei matrimonium postea contractum.

DISPUTATIO XIX.

Quo jure professio religionis dirimat matrimonium ratum?

SUMMARIUM.

Referuntur duæ sententiæ, nu. 1. & 2.
Sententia authori, nu. 3. & ibi solvuntur argumenta.

1 TRiplex est sent. I. ait ex natura rei id professioni competere: & subinde ex jure naturali divino. Dicitur 1. quia professio mors spiritualis est, juxta illud *Colos.* 3. *Mortui estis, & vita vestra abscondita est in Christo*: & matrimonium ratum, cum solo consensu contrahatur, est vinculum spirituale; ergo sicut mors naturalis sitapte natura dissolvit vinculum carnale matrimonii consummati, ita mors spiritualis professionis dirimit ex natura rei vinculum spirituale matrimonii rati 2. quia ipsa ratio naturalis dictat, licitum esse ab imperfectiori ad perfectiorem statum transirum, nulla tertio injuria illata: ut contingit hic, non enim sit injuria proli, cum ea non possit esse in matr. rato; nec manenti in sæculo, quia potest aliud mire matrimonium: & quamvis esset aliqualis injuria, non tanta est, quin bono religionis maximo compensari valeat. Hujus sent. videntur esse *D.Th.4.d.27.q.1.a.3.q.2. corp. Ricard. eod. d. art. 2. q. 2. Durandus q.2. n.9. Palud. q.3. a.3. n.10. Alisiodor. l. 4. sum. tr.9. c.2. in quæstione incidenti quam ibi disp. vers. Soluto ad hoc; Arborcus l.11. theosoph. c.16. vers. Quartus an vir, Bellarm. l.2. de monachis, c.38. Lud. Lop. 2. par. instruct. de matr. c.30. f.1053.* Et ex Jurisperitis, *Turrecremata cap. Sunt, qui dicant, 27. q. 1. n. 3. Barbosa ff. solut. matr. rubr. 2. par. n. 76. Lancellot. instit. juris canon. lib. 2. titul. de sponsi. verb. Sponsalia*: nam hi omnes probant hanc dissolutionem, prima ratione posita: & expresse tenet *Covar. d. decr. 2. p. cap. 7. §. 4. n. 7. Ledesm. 2. p. 4. q. 55. art. 2. & q. 59. art. 7. ad fin.*

2 II. Sent. docet, dissolvi solo jure Pontificio, dicitur a sufficienti divisione, quia non dissolvitur jure naturali, nec divino positivo, ergo solo Pontificio humano. Prob. minor, quod non dissolvatur jure naturali, late probabitur n. seq. quod autem non jure divino positivo, probatur: id enim absque præcisa necessitate multiplicandum non est, nec tale jus ex sacra Pagina constat, & *D. Paulus 1. Corinth. 7.* multa de matrimonii dissolutione egit, per conversionem ad fidem: non meminit autem de religionis professione. Nec habetur ex traditione, quia Sancti, quorum disp. præc. nu. 3. meminit, qui post matrim. ratum, transierunt ad perfectum statum, ad veram religionem non convolarunt, ut de D. Alexio constat ex *Metaphrastes*, & de aliis, in eorum vitis: & ita non obstat, aliquos illorum, ante jus Pontificium, quo professio dirimit matr. ratum, id fecisse: quia cum non transierint ad veram religionem, sed ad vitam cœlibem, illud supra omne jus, ex revelatione, & speciali Spiritus sancti instinctu, contingit. Restat ergo, ut hæc fiat dissolutio ex solo jure Pontificio, sic tenent *Host. c. Ex publico super vers. Consummatum, de convers. conjug. & ibi Joan. Andr. nu. 9. Ant. n. 16. Anchar. repetit. super c. Canonum, n. 28. de constit. Felin. cons. 26. num. 16.* Et ex Theologis, *Gandavo quodlib. 5. qu. 35. Metina l. 5. de sacr. hominum continentia, cap. 86. & seq.*

3 III. Sent. quam probabiliorem reputo, licet duæ præcedentes probabiles sint, asserit hoc competere professioni, ex solo jure divino positivo, concedente Christo id privilegium illi: Prob. quia non competit ex natura rei, nec ex jure Pontificio, ergo ex jure divino positivo. Prob. 1. non competere ex natura rei, quia alias non posset dici matrim. ratum, ex natura rei indissolubile, id enim tale dici nequit, quod per causas naturales solvi potest: ut ceteri contractus naturales sunt dissolubiles; quia in eorum natura dantur causæ sufficientes dissolutionis. Et confirm. quia si matrim. ratum ex natura rei dissolveretur per supervenientem fornicationem, non diceretur ex natura sua indissolubile 2. quia attenta sola rei natura votum solemne emissum, post matr. ratum, est prorsus irritum: ergo non potest per illud ex natura rei dissolvi matr. ratum: patet antecedens, quia res uni tradita nequit valide alii tradi, absque domini consensu: per matrim. autem traditum erat corpus alteri conjugi: non valet, si dicas hanc injuriam compensari majori religionis bono: quia hoc tantum est verum, supposito Christi privilegio, quo stante includitur in matrim. rato tacita quædam conditio, nisi voluero ad religionem transire, alias enim ex natura rei non illudderetur. Quod sic constat, nam aut hoc majus bonum, est conjugis transeuntis ad religionem; & hujus bonum non compensat injuriam alteri illatam auferendo rem suam: debet enim esse majus bonum ejusdem injuriam pati: aut est majus bonum conjugis manentis in sæculo, & hoc non: quia ipsi nil utilitatis accresciet, aut majus bonum totius Ecclesiæ, quod manens in sæculo, bono proprio præferre tenetur: & hoc non probat dissolvi per hoc matrim. quia sæpe erit inutilis Ecclesiæ, & adeo rudis, ut ad id sit ineptus; item, quia similiter probaret per Episcopatum dissolvi: item similiter probaret de matrim. consummato, saltem ubi non est proles: item solum probaret licere ingredi, non tamen prius matrim. vinculum dissolvi. 3. quia nullus est contractus ita indissolubilis, ac matrim. ratum: ut constat, cæteri enim contractus multis ex causis dissolvuntur, & præcipue ex mutuo consensu, quod longe abest a matrimon. at professio religionis non dissolvit ceteros contractus, per quos jus acquiritur tertio, ut obligationem ad solvendum debita, venditionem. Dices hos non repugnare religioni: contra, servitus repugnat religioni, & tamen, qui se in servum vendidit, nequit ad religionem convolare. 4. quia neutra ratio primæ sent. probat ex natura rei dissolvere: non prima, quia religionis professio non est vera mors spiritualis, sed metaphorica: item alias dissolveret matr. consummatum. Item vota simplicia in religione approbata, ut in Soc. Jesu, sunt mors spiritualis, imo cum quis renunciat honoribus, ac divitiis in sæculo, mors est spiritualis, juxta illud *Pauli Gal. 2. Vivo ego jam non ego*. Item est mors voluntaria, & non naturalis, & ita non apparet, quo pacto possit ex natura sua dissolvere contractum, ex natura rei indissolubilem. Præterea, quia etiam matr. ratum non continet traditionem proprie spiritualem, cum revera tradatur corporum dominium, per contractum externum, & sensibilem. Quod autem id non probet. 2. ratio, quia religio est status perfectior, probatur, quia idem probaret de matr. consummato: Quod si dicas fieri injuriam proli, & relictæ feminæ, cum jam sit defloratæ: cesseret utique hæc injuria, quando non esset proles, & relicta consentiret. Præterea, quia in matr. rato potest esse similis injuria relictæ; quando absque seminis effusione defloratæ esset, quo casu non est matr. consummatum, ut dicemus disp. 21. nu. 5. Præterea, quia esse religionem statum perfectiorem, & mortem spiritualem, non probat dissolvi ptius matr. vinculum, non enim est incompatibilis cum vinculo matrim. ut constat, quando post matr. consummatum, ambo communi consensu profitentur; valet enim professio, & manet matr. vinculum, & quando ante consummatum, ambo simul profitentur, valet professio, & non dissolvitur vinculum matrim. rati juxta *D. Thomam*, & aliquos, ut dicam disp. seq. num. 2 Sed tantum probat manenti vinculo matr. posse alterum transire per commutationem ad statum perfectiorem. Ex his ergo probatum restat per professionem non dirimi ex natura rei matrim. ratum. Prob. alia pars nempe hoc non provenire ex solo jure Pontificio, ex *cap. Ex publico, de convers. conjug.* ubi fatetur Alexand. III. hoc deduci ex sacri eloquii interpretatione: & ex *c. Ex parte, el 2. eod. tit.* ubi ait Pontifex, Sanctos ex revelatione divina, quæ superat omnem legem, transisse a matr. rato ad statum perfectiorem. 2. quia cum dissolutio matr. rati sit certissima, reduci debet in causam certam, incertissimum autem est, posse lege generali statui dissolutionem matr. rati: ut dixi hoc 2. lib. disp. 14. n. 4. ergo reduci debet ad Christi privilegium: per quod omnia consonant. 3. quia initum hujus consuetudinis non invenitur in jure Ecclesiastico, sed a principio nascentis Ecclesiæ extat, ut constat in exemplis adductis disp. præc. num. 3. ergo credendum est, hoc Christi privilegium per traditionem haberi: & ad hoc est duplex congruentiæ ratio adducta pro priori sent. num. 1. & forte hoc modo asserturæ DD. ibi citatis, & non quasi velint probare ex natura rei dirimi matr. per professionem. Noluit autem Christus id privilegium concedere respectu matr. consummati, quia significat indissolubilem unionem Christi cum Ecclesia per carnem, & ratione injuriæ prolis, & feminæ in sæculo relictæ: & quia cum per commixtionem fiant conjuges una caro, esset acerbum eos dividere: ut ait *Alex. III. capit. 2. de convers. conjug.* Hanc sentent. tenent *Scot. 4. dist. 31. q. 1. vers. Tertio modo dici potest. Abul. 1. Reg. c. 8. q. 98. 103. 113. Victoria de potest. Papæ, propos. 1. nu. 1. ad 1. Soto 4. d. 27. q. 1. a. 4. concl. 1. vers. Ad illud, Pet. de Soto lect. 12. de matr. §. Post hæc, Ledes. 2. p. 4. q. 63. art. 3. fol. 516. col. 4. Corduba l. 1. quæst. qu. 25. §. Ad rationes, Veracruz 2. p. speculi, a. 28. concl. 2. Angles floribus, 1. p. 1. de essentia matr. d. 28. art. 3. diffic. 1. fol. 530. Enriquez l. 11. de matr. c. 8. n. 6. Barth. a Ledes. dub. 64. de matr. f. 1566. Pet. de Ledes. de matr. q. 61. a. 2. concl. 4. f. 591.* Et ex Jurisperitis, *Ant. Cucus l. 5. inst. major. tit. 12. n. 277. Gutierr. l. 1. quæst. can. c. 17. nu. 26. 35. 43.*

Ad argumenta primæ, & secundæ sententiæ, constat ex dictis num. 3.

DISPUTATIO XX.

Utrum quando post matrim. ratum, uterque conjux communi consensu profitetur religionem, vel alter profitetur, & manens in sæculo vovet continentiam, dissolvatur matrimonium ratum?

SUMMARIUM.

Quid conferat scire, an dissolvatur vinculum, necne, num. 1.
Opinio asserens non dissolvi, quando uterque profitetur, nu. 2. & verior contraria, 3.
Quid quando manens in sæculo, vovet continentiam, 4.

1 HÆc quæstio utilis est, nam si dicamus, vinculum matrimonii non dirimi, si alter post professionem fornicetur, adulter erit: & dispensante Pontifice in professione, non poterit aliud inire matrimonium, nisi simul Pontifex dispenset in matrimonio rato; contrarium autem in utroque eventu dicendum est, si vinculum illud dissolvatur. Ita advertit *Ledesm. 2. p. 4. q. 63. art. 3. fol. 517.*

Aliqui

2 Aliqui ergo asseverant non dissolvi vinculum, cum uterque communi consensu profitetur. Quia quando unus tantum profitetur, quantum in se est, renuntiat vinculo conjugii, & ideo alter a vinculo illo absolvitur: dum uterque autem profitetur, neuter renuntiat. Præterea, quia textus omnes, quos retuli, disp. 18. nu. 3. decidentes matr. ratum dissolvi per professionem expresse loquuntur, quando alter sponsus religionem profitetur, sic *D. Th. 4. d. 27. q. 1. art. 3. quæstiunc. 3. ad 1. Palud. ibi, q. 3. a.2. concl. 2. nu. 11.* & clare videtur tenere *Palacios ead. d. disp. 2. fol. 576. col. 2. §. Est autem*: & censet esse probabile *Ledes. cit. num. 1.* & videtur censere probabile *Enriquez l. 11. de matrim. c. 8. num. 6. in commento, lit. D.* tantum enim appellat oppositum probabilius. Et est probabile.

3 Sed multo probabilius est dissolvi, quia hæc dissolutio non provenit ex juris proprii renunciatione, non enim sufficit ad eam utriusque conjugis renunciatio, nedum unius: sed hoc oritur ex Christi privilegio, qui hoc professioni concessit, eo quod mors spiritualis, & status perfectior sit: ut dixi disput. præced. num. 3. quæ rationes æque procedunt, sive uterque, sive alter profitetur. Et ita hanc sent. dicit communiorem esse, & in eam magis inclinat *Ledes. proxime citat.* & dicit esse probabiliorem *Enriquez* quem *num. præced.* retuli.

4 Hinc infertur non audiendum esse *Palud. allegatum nu. 4.* qui dicit non dirimi matrimonium, quando communi consensu alter profitetur, alter autem in sæculo continentiam vovet: quia ambo sunt conformes in proposito. Sed hæc sententia nullo modo est tuta: quia textus allegati disp. 18. n. 3. absolute decidunt vinculum matrimonii rati dirimi per alterius professionem.

DISPUTATIO XXI.

Quando censeatur matrimonium consummatum, ita ut indissolubile efficiatur professione, aut Pontificis dispensatione?

SUMMARIUM.

Quando semen non recipitur in vase naturali, non est consummatum, num. 1.
Quacumque arte, aut Dæmonum ministerio in vase recipiatur, est consummatum, 2.
Quot sint difficultates disputandæ, 3.
Quid si vir penetret vas femineum, non tamen intra vas seminet: ponitur 1. opinio affirmans, num. 4. contraria, n. 5. & quid, si femina sola seminet, 6.
An saltem quando vir defloravit feminam post matrimonium ratum, non tamen seminavit, possit religionem ingredi, vel interdicatur ratione damni, 7.
An credendum sit viro, qui accessit ad sponsam, & dicit se non seminasse, 8.
Solvuntur argumenta, 9.
Utrum satis sit virum seminare intra vas, femina non seminante: ponitur vera opinio affirmans satis esse, num. 10. & contraria probabilis, 11.
An semen femineum sit necessarium ad generationem, & possit dici, Virginem illud ministrasse in Christi incarnatione, 11.
An copula præcedens matrimonium, efficiat illud consummatum: opinio affirmans, 12.
Contraria verior, num. 13. & explicatur l. Lecta, vers. Dicebam, ff. si cert. pet.
Quod incontinenti fit, dicitur in esse, num. 12. juncto, 13.

1 IN hac disp. conveniunt omnes quacunque seminis effusione extra naturale vas, non consummari matrimonium: & collligitur clare ex *c. Extraordinaria, 35. quæst. 3.* quod est Urbani Papæ, ubi habetur, pollutionem extraordinariam non producere affinitatem. Et ratio est, quia ea non est copula carnalis; nec efficit conjuges unam carnem, sic docent omnes auctores.

2 Similiter conveniunt consummari, quacumque arte semen recipiatur intra vas naturale, absque illius penetratione, quia ea copula sufficiens est generationi, per eamque sponsi una caro efficiuntur: sic *D. Ant. 3. p. t. 1. cap. 11. ante §. 1. Corduba sum. q. 178. Sotus 4. d. 28. qu. 1. art. 4. vers. Causæ dirimendi, Corona confess. ult. parte, materia de matr. cap. 8. nu. 12. Enriquez l. 11. de matr. c. 15. num. 3.* Et ex Jurisperitis, *Alex. de Nevo, c. Fraternitati, num. 11. de eo, qui cogno. consang. Rosella verb. Impedimentum, impedimento 14. nu. 8. Silv. matrim. 8. q. 18. dict. 2. Tabiena, verb. Impedimentum, impedimento 4. qu. 2. num. 3. Greg. Lop. l 5. verb. Carnalmente, t. 6. p. 4.* Et hoc verum est, quamvis dæmonis ministerio semen viri in vase debito recipiatur, ut docent *Rosella, Silvest. & Tabiena ibi.*

3 Tria tamen veruntur in quæstione. I. An sufficiat vasis penetratio absque seminis retentione. II. An requiratur utriusque sponsi seminatio. III. An si copula matrimonium præcedat, illud consummet.

4 Quæstio I. Utrum matrimonium censeatur consummatum dum sponsus vas feminæ penetrat, minime effundens semen intra vas. Duplex est sent. I. ait sufficere, ut vir penetret vas, licet intra non seminet. Prob. quia *c. 2. de convers. conjugat.* dicitur posse alterum transire ad religionem, & per consequens matr. non esse consummatum, modo carnalis commixtio inter eos non intervenerit, *&c. Ex publico, & c. Ex parte tua, eod. tit.* modo carnalis copula non sit secuta: at hæc est vera carnalis copula, & commixtio, ergo. 2. quia cum hoc sit privilegium concessum a Christo supra naturam matrimonii rati, quæ est, ut sit insolubile, non debet amplari, sed restringi, ut intelligatur, modo nulla carnalis conjunctio, etiam line semine, intervenerit. 3. quia una ex causis, ob quas Christus noluit concedere id privilegium matr. consummato, fuit gratia evitandi damni secuti sponsæ, quæ minus apta matrimon. maneret, at non minus inepta manet in hoc casu, quam si vir seminasset, ergo. Hanc tenent multi discipuli D. Thomæ, ut refert, eos sequens *Petrus de Ledes. de matrim. q. 61. art. 1. a fol. 581. Metina l. 5. de sacrorum hominum continentia, cap. 76. & 79. Manuel 1. tom. summ. 2. edit. c. 239. num 2.* Et pro hac sent. faciunt *Tabiena verb. Bigamia, q. 3. §. fin. & ibi Armilla nu. 2.* dicunt enim esse Bigamum, qui contrahit cum aliqua defloratabalio circa seminationem: cum tamen prius dixissent, quod si prius matrimonium, vel secundum non fit consummatum, non est bigamus: & sic sentiunt ad matrimonii consummationem, sat esse vas penetrare.

II. Tamen sententia longe verior ait, id non sat esse, sed necessario requiri, ut semen virile vas sponsæ subintret: Prob. 1. quia copula carnalis, per quam consummatur matrimonium, est ea, per quam conjuges efficiuntur una caro, ut constat; tum ex significatione, significat enim matrimonii consummatio, per eam carnis unitatem, mysterium incarnationis; per quod Christus per unitatem carnis est Ecclesiæ conjunctus: tum etiam, quia *Alexand. III. c. 2. de convers. conjug.* ubi dicit posse conjugem ante copulam ad religionem transire, subdidit rationem, his verbis, *quia cum non fuissent una caro simul effecti*. Et ira aperte sentit, talem debere esse copulam, per quam una caro efficiantur; sed dum semen non recipitur intra claustrum feminæ, non efficiuntur una caro, et clare colligitur ex *cap. Lex*, quod est Benedicti Papæ, 27. q. 2. ibi, *propinquitas enim sanguinis*, junctis verbis præcedentibus, dixerat enim non aliter fieri unam carnem, quam si carnali copula sibi cohæreant: & subdit hæc, *neque osculum parit propinquitatem, quod nullam facit sanguinis commixtionem*: & ita, quod prius vocaverat carnalem commixtionem, modo vocat sanguinis, id est, seminis commixtionem. Et non effici unam carnem, nisi vir intra vas seminet, ultra DD. allegandos, docent *D. Th. 4. d. 41. q. 1. a. 1. quæstiunc. 4. ad 2. D. Bonav. ead. d. q. 1. Richard. ibi, a. 1. q. 2. gl. c. Extraordinaria, fi. 35. q. 3.* ergo per talem copulam non consummatur matr. 2. quia etiam absque corporum conjunctione, virili semine recepto intra vas, consummatur matrim. juxta omnes, ut dixi nu. 2. ergo tota consummationis ratio est, seminis receptio, & carnium commixtio est omnino impertinens. 3. quia copula requiritur ad consummationem apta ad generandum, alias copula Sodomitica consummaret matrimon. quod absurdissimum est: ex penetratione autem absque seminis effusione, non potest sequi generatio. 4. quia ultra significationem, potissima indissolubilitas matrimonii consummati, ratio est, injuria prolis: quæ esse non potest absque seminis receptione. 5. quia ex tali copula non oritur affinitas, ut fere omnes fatentur, quod inde provenit, quia cum vir, & uxor non efficiantur per eam copulam una caro: consanguinei unius, non fiunt alteri conjuncti: ergo similiter ea copula non consummat matrim. cum ad utrumque desideretur conjuges unam carnem effici. 6. quia ut dicemus num. 10. DD. asseverantes non exigi semen femineum ad consummationem, ea ratione ducuntur, quod id semen ad generationem necessarium non sit. DD. autem contrarium opinantes, opposito innituntur fundamento, ut dicemus nu. 11. Quare omnes illi sentiunt eam solam copulam consummare, quæ ad generandum sufficit, qualis sola est, ubi semen intra vas naturale recipitur. Hanc tenent ex Jurisperitis, *Vincentius, c. fi. de sponsi. Hugo 31. q. 3. cap. 1. Archid. cap. Extraord. 35. q. 3. & cap. unic. n. 3. de sponsi. impub. in 6. Innoc. c. Attestationes, inst. de sponsi. impub. Joan. Andr. reg. Quæ contra jus, fin. de reg. jur. in 6. Præp. c. fi. 55. d. Hyar. cap. fraternitati, n. 10. de eo, qui cogno. consang.* & videtur clare tenere *Anch. ibi princip. juncto fini*, principio enim dicit, non contrahi affinitatem, nisi vir intra vas seminet: & fine dicit inde colligendum esse, quando vir posit ingredi religionem: eamdem supponunt *Abb. ibi fine, & Alex. de Nevo, num. 10.* Supponunt enim exigi, ut vir seminet, & solum in dubium vertunt an requiratur, feminam etiam seminare: eamdem tenent *Rosella verb. Impedimentum, impedimento 14. num. 9. Silv. Matrimonium, 8. q. 15. d. 2. Tabiena, verb. Impedimentum imped. 14. q. 2. n 3 fin. Ant. Cucus l. 5. inst major. t. 12. nu. 243.* Et ex Theologis *D. Ant. 3. p. t. 1. cap. 11. ante §. 1. Sotus 4. d. 27. q. 1. a. 4. vers. Causa dirimendi, & vers. Hoc autem perplexum, Corduba sum. q. 178. Enriquez l. 11. de matr. cap. 8. num. 8. & cap. 15. num. 13. Corona confess. ult. p. materia de matr. c. 8. num. 12. Vega l. 3. summæ, casu 157. & l. 6. casu 17.*

Hoc autem verum est, licet viro penetrante, nec seminante, femina seminaret: quia id ad generationem minime sufficit sic *Silv. & Sotus proxime citati.* 6

Id tamen observandum est, aliquos asserere sponsum sponsam virginem absque seminis imminutione defloranten, arceri a religionis ingressu, ratione damni illati: quamvis si ingrederetur, professione secuta, dissolveretur vinculum illius matrim. quod ea copula consummatum non est. Sic *Enriquez l. 11. de matr. cap. 8. nu. 8. & cap. 15. nu. 13.* Et absque dubio id credo verum esse, quando sponsus dolose sponsam deflorat, habens animum non consummandi, sed ingrediendi religionem: quia 7

etiam

etiam si solam dedisset de matrimonio fidem, defloratione secuta non posset ratione damni religionem ingredi: ut dixi l. 1. disp. 44. num. 3. Quando tamen absque dolo id accidit, quia accesserit animo consummandi, & non potuit propter debilitatem: vel quia impeditus est, eo quod aliquis supervenit, & ratione honestatis recesserit ab uxore, vel quia in ipsomet actu Spiritus sanctus religionem inspiravit, & ita ante consummationem se retraxit: credo posse ingredi: nulla enim injuria vere irrogatur sponsæ, cum nil fraudulenter egerit sponsus, nec delicti reus sit, & jure suo utatur. Præterea, quia jus concedit bimestre, ut possint sponsi non consummare matrimonium, & ingredi religionem, ut late dicemus infra disp. 24. & tamen eo tempore moraliter loquendo contingent oculla, & tactus, ex quibus sponsa non leve damnum patietur ad alias nuptias, & eo damno minime obstante, quia sponsus suo jure usus est, poterit religionem ingredi.

8 Non crederetur autem in foro externo, sponso qui ad sponsam accessit, dicenti se minime feminasse: quia est testis in causa propria, & cum frequenter seminatio contingat, ea præsumitur: in foro autem conscientiæ fides ei adhibenda esset. Sic *Archid. c. Extraordinaria*, 35. *q. 3. Petrus de Sanson*, quem refert, & sequitur *Henric. c. Fraternitas, nu. 9. de eo, qui cognovit consang. & ibi Alex. de Nevo, num. 8. Sylvest. Matrimon. 8. qu. 15. diff. 2. Greg. Lop. l. 5. verb. Carnalmente, t. 6. part. 4.* Et ex Theologis, *Palud. 4. d. 41. q. 1. ar. 3. concl. 1. num. 18. D. Anton. 3. p. t. 1. c. 11. ante §. 1.*

9 Ad 1. argum. ex propositis nu. 4. respondetur, eam solam dici veram carnalem copulam, per quam conjuges efficiuntur una caro: ut probavi nu. 5. Ad 2. dico, in hoc eventu non extendi privilegium, nisi ex mente ipsius Christi, qui illud concessit matrim. consummato, ratione significationis, & damni prolis, unde de ea consummatione aperte intellexit, quæ apta est significationi, & proli suscipiendæ, qualis sola est, ubi semen intra vas recipitur: ut probavi eod. num. 5. Ad 3. argumentum fateor eam esse aliqualem rationem: portissima tamen est significatio, & damnum prolis, quæ hic deest.

10 Quæstio II. Utrum censeatur matrimon. consummatum, si solus vir intra vas naturale feminæ seminet? communis sent. affirmat censeri consummatum, eoque innititur fundamento, quod semen femineum ad generationem necessarium non sit, teste *Philosopho l. 2. de gener. anim. c. 2. & Galeno* sibi contrario, *1. l. San. tunda, c. 1. & l. 2. de natur. facult. cap. 3. Avicen. l. 9. animal. c. 1.* & multis aliis, quos referunt, & sequuntur *Hugo Senensis super l. Tegni Galeni, l. 2. super 8. Frigidum vero, & siccum. Feltrio, l. metaphy. q. 2.* Et ex Theologis, *D. Th. 3. p. q. 31. a. 4. ad 3.* quem fere omnes Theologi sequuntur: cum ergo copula generationi sufficiens consummet matrimon. ut late probavi nu. 5. & talis sit, ubi vir solus intra vas femineum seminat, illa consummabit. Sic docet *Cardin. cap. Fraternitati, fin. de eo, qui cogn. consang.* ubi, *Abb. fin. Alex. de Nevo, n. 10.* & clare videtur tenere *Anchar. ibi*, nam *paulo post princ.* ait ad affinitatem non requiri semen feminæ, & *in fine*, concludit, inde colligendum esse, quando vir possit religionem ingredi. Idem videtur clare tenere *Archid. cap. Extraordinaria, 35. q. 3. fin.* ubi relata contraria *Hugonis* sent. remittit se ad ea, quæ notavit *cap. Nasci 56. d.* ubi defendit semen muliebre non desiderari ad generationem: Idem tenent *Sylvest. Matrim. 8. q. 15. diff. 2.* dicens esse ofinium, & refert fredericum: quem etiam fere omnes Doctores refert: sed cum diligenter quæsierim, in nullo loco ex iis, qui citantur, inveni: *Rosella verb. Impedimentum, imped. 24. n. 8. Tabiena verb. Impedimentum, imped. 4. q. 2. nu. 3. fine, Ant. Cucus l. 5. instit. major. t. 12. n. 243.* Et ex Theologis, *D. Ant. 3. p. t. 1. c. 11. ante §. 1. Sotus 4. d. 27. q. 1. art. 4. vers. Hoc autem perplexum, Enriq. l. 11. de matrim. cap. 8. num. 8. in comment. lit. N. & tit. 15. num. 3. Barth. a Ledesma de matr. dub. 40. concl. 5. Vega l. 3. summa, casu 157.*

11 Sed quamvis hæc sent. communior, & probabilior sit: non tamen est adeo certa, ut quidam ex ejus defensoribus existimant, cum innititur illi soli principio philosophico, quod semen femineum non sit necessarium ad generationem, & illud non est certum: quia satis probabiliter multi tenent contrarium, ut *Hippocrates, & Galen.* quos refert *Jabellus 8. metaphys. qu. 17. idem Ant. Andr. eod. l. 8. q. 2. Vallesi l. 2. controver. med. & philosophic. c. 6. Vega l. 1. de arte medendi, c. 3.* & late *Pero Mato tr. de semine, a §. Jam vero, usque in finem.* Et ex Theologis *Abul. paradox. 1. c. 48. Caj. 2. 2. q. 154. a. 12. §. ultimo incipienti*, Ergo: & multi alii: cum ergo fundamentum non sit certum, ita nec opinio illi innitens: quod adeo probabile est, ut *Suarez 3. p. q. 32. n. 1. disp. 10. sect. 1. f. 182.* fateatur cum aliis esse probabile adfusile semen in Virgine, absque omni prorsus inordinatione, ut ministraret conceptioni Christi materiam, ut sic esset vera, & naturalis mater Dei, quod idem defendit *Pero Mato in append. ad tr. de semine*, ubi quid naturale, & quid miraculosum fuerit in Christi conceptione, §. *An vero Maria virgo*, & probat absque omni inordinatione, & concupiscentia posse decidi semen. Quare concludo esse probabile non consummari matrim. nisi etiam femina seminet. Prob. quia ad matrim. consummationem requiritur copula, ex qua sequi potest generatio, ut fatentur *Sylv. & Tabiena, ubi allegavi, n. preced.* & clare colligitur ex ceteris DD. cum inde probent consummari matrim. absque femineo semine, quod non sit ad generationem necessarium: sed probabile est, nisi femina seminet, non posse ex ea copula sequi generationem: ut probavi, ergo similiter habet eamdem probabilitatem, non esse consummatum matrim. viro solo seminante. Item quia est probabile per solam utriusque seminis commixtionem, fieri conjuges unam carnem: ut ex *D. Th. D. Bonav. Viguerio*, statim dicam: est etiam probabile non oriri affinitatem ex copula, in qua mulier non seminat: ut ex aliquibus dicam: ergo etiam est probabile ea copula non consummari matrimonium: nam ut probavi n. 5. ea sola copula consummat, per quam conjuges efficiuntur una caro, & quæ satis est ad affinitatem producendam. Pro hac sent. videtur aperte *D. To. 4. d. 41. q. 1. ar. 1. q. 4. ad 2.* ubi hæc dicit: *Vir, & mulier efficiuntur una caro per commixtionem seminum, unde quantumcumque aliquis claustra pudoris frangat, nisi commixtio seminum sequatur, non contrahitur affinitas:* quod eisdem verbis docent *D. Bonav. 4. d. 41. quæst. 1. Viguer. 1. instit. cap. 16. §. 7. vers. 9. in sexto impediment.* ubi pondero hos afferere non effici unam carnem, nec contrahi affinitatem: unde consequenter juxta dicta sequitur, non consummari matr. Ad idem sunt *Laurentius*, quem refert, & sequitur *Archid. cap. unico de spons. in 6. n. 3. & 4 & Durand. 4. d. 41. q. 1. a 1. n. 7.* ubi docent non contrahi affinitatem, nisi adsit utriusque seminis commixtio: & dicit *Archid.* hoc manifeste probari, *cap. Lex 2. 27. qu. 2.* ubi, *sed nec osculum parit propinquitatem, quod nullam facit sanguinis commixtionem.* Et in propriis terminis tenent *Vincentius, & Hos.* (ut refert *Sylvest. Matrimonium 18. q. 5. diff. 2.*) *Hug. 31. q. 3. cap. 1. Inn. c. Fraternitati, initio, de eo, qui cogn. consang. & ibi Ant. num. 3.* & videntur tenere *Host. eod. c. Fraternitas, fin. Joann. Andr. ibi, nu. 2. Henr. fin. Præpos. nu. 2.* ubi relata hac sent. Innocentii, requiri utriusque seminis commixtionem, hæc dicunt, *Hæc opinio multum placet, quia non facile de commixtione seminis utriusque fieri judici fuit, nisi secuta prole: hoc ideo dico, quia sine seminum commixtione non fit generatio.* Ubi pondero eos dicere non multum placere, quasi aliquantulum, & tanquam probabilis ea opinio placeat: & eos concludere ad generationem esse necessariam utriusque seminis commixtionem: unde infero juxta dicta, esse etiam necessariam ad consummationem.

Quæstio III. Utrum matrimonium consummetur per copulam præcedentem? Id enim affirmat *Hippol. singul. 500.* referens *Claudium, & Sylvam nuptiarum*, & in hanc partem inclinat *Bald.* licet nihil definiat, *c. Licet, de translat. episc. fin.* & probat, quia matrim. sequens retrahitur ad copulam præcedentem, & illam ita confirmat, ut prolem ex ea habitam efficiat legitimam, *c. Tanta, qui filii sint legit.* ergo similiter confirmabit, ut censeatur habita post matrimonium, illudque consummet. Et confirmat, quia, cum id quod incontinenti fit, videatur inesse, *l. Lecta, vers. Dicebam, ff. si cert. pet.* ita erit, quando paulo post copulam, matrim. celebratur.

Sed dicendum est minime consummari, quia matrim. solum consummatur per copulam matrimonialem, illa autem fornicaria est. Item per *c. Veniens, de sponsalibus*, ubi probatur, ut sponsalia transeant in matrimonium, per copulam, juxta *c. 1. qui fidem, de spons.* oportere, ut copula illa subsequatur matr. Nec obstat 1. argum. contrarium, quia quamvis illa fictio admittatur favore prolis, quæ non deliquit: æquum non est eam favore fornicantium admitti contra regulam *l. Sive hereditaria, ff. de neg. gest.* Non obstat etiam 2. argumentum, quia ea regula procedit per fictionem quoad juris effectus, & nulquam legitur legem aliquid fingere in delinquentium favorem, & ideo hanc sent. tenent *Paul. 1 sin. nu. 4. C. de appell. & oler. Boscheus tract. de nuptiis, l. 1. nu. 8. Ripa rubr. ff. jol. matr. num. 25. Socin. jun. cons. 28. nu. 6. & 16. Sylv. Religio, 2. q. 9. & verb. Divortium, q. 1. dict. 4. Tabiena, verb. Impedimentum, imped. 2. q. 3. nu. 4 fin. Navar. sum. c. 22. Hisp. nu. 95. lat. n. 84. Cov. 4. decr. 1. p. c. 4. §. 1. num. 15. Acosta l. Cum tale, §. Si arbitr. impliat. ult. nu. 18. ff. de cond. & demonst. Monoch. de præsumpt. l. 3 præsump. 1. num. 44. & 45. Barbosa* alios referens, *ff. solut. matr. rubr. 2. p. nu. 107.* Et ex Theologis, *Palacios 4. diff. 27. disp. 2. f. 585. Enriquez l. 11. de matr. cap. 8. num. 8. Petrus de Ledesma de matr. q. 61. art. 1. fine.*

DISPUTATIO XXII.

Utrum copula per vim extorta ita consummet matrimon. ut neutri sponso liceat ad religionem transire?

SUMMARIUM.

Quando post bimestre concessum a jure ad deliberandum de ingressu religionis, sequitur copula vi extorta, illud consummat, n. 1.
Quot sint quæstiones disputandæ, 2.
An copula intra bimestre vi extorta, illud consummet. 1. opinio negans, num. 3. 2. Verior, consummare, 4.
Utrum possit sponsa vi oppressa ingredi religionem, opinio negans, n. 5. & ibi, ubi jus non distinguit, nec nos distinguere debemus.
Opinio verior affirmans, nu. 6. & ibi, nullus ex culpa sua commodum reportare debet, & sine sua culpa nemo debet suo jure privari.
Quid, si proles secuta sit, & commode educari nequeat, 7.
Utrum vir vi copulam extorquens, possit ingredi religionem, 8.
Quid, si vir ante matrimonium consummatum tradat uxorem alteri defloranda, an possit ingredi religionem, num. 9. & solvuntur argumenta, 10.

Quid,

Quid, quando metu sponsa cognita est. Opinio asserens non posse sponsam ingredi religionem, nu. 11. Contraria verior, 12.
An sponsus peccet, cogens sponsam post bimestre, n. 13. & quid ante bimestre. 1. opinio, non peccare, n. 14. Contraria verior, 15.
An exigatur, ut peccet sponsus cogendo, ut sponsa ajunt, se velle ingredi religionem, 16.
Utrum sponsa vim passa possit semen expellere, nu 17. & ibi quid de passa vim ab alio, & an liceat vi surripere a latrone furtum sum ablatum, etiam ipsum occidendo.

1 Quæstio hæc si intelligatur de copula vi extorta post bimestre concessum uxori ad deliberandum de religionis ingressu, dubio caret. Quia cum vir utatur jure suo utendo corpore sibi debito, vere consummatur matr. & neutri licet ad religionem transire. Sic *Joan. Andr. reg. Quæ contra jus, de reg. jur. in 6. Præp. c. fin. 55. & Silvest. verb. Divortium, qu. 5.* ubi *Aquil. n. 6. Greg. Lop. l. 4. fin. t. 1. p. 4. Perez l. 5. ord. t. 1. l. 1. q. 12. vers. Circa præmissa dubium, Petrus de Ledesma de matr. q. 161. a. 1. f. 83.* Unde tota difficultas est, quando copula intra illud bimestre vi extorquetur.

2 5. Igitur quæstiones disputandæ sunt. I. est, utrum per copulam intra bimestre extortam consummetur matrimonium. II. an saltem liceat sponsæ vim passæ, transire ad religionem. III. an idem liceat, quando solo metu copula extorta est. IV. an sponsus sic cogens peccet, V. an sponsa vi oppressa possit incontinenti semen expellere.

3 Quæst. I. Utrum per copulam vi intra bimestre extortam consummetur matrimonium? Quidam censent non consummari, & ita professione secuta, vel obtenta Pontificia dispensatione, dirimi matr. vinculum. Prob. Quia matrimonium consummatum repræsentat unionem Christi cum Ecclesia per carnem, indeque omnimodam indissolubilitatem fortitur, ut probavi hoc 2. l. disp. 13. n. 1. & 7. ergo per eam solam copulam consummabitur, quæ hanc unionem repræsentare potest, sed hujusmodi est sola copula voluntaria, cum unio Christi voluntaria fuerit. Ita docent *Henricus c. fin. nu. 4. de sponsa duorum, Aquil. verb. Divortium, nu. 6.* & aliqui, ut refert *Dur. 4. d. 27. q. 2. n. 14.* & tanquam probabile ibi relinquit *nu. 15.* neutram enim partem definit, & *Palud. 4. d. 27. q. 3. a. 2. concl. 1. n. 10.* dicit hæc esse probabile. Idem videtur clare tenere *Joan. Andr. reg. Quæ contra jus, de reg. jur. in 6.* dicit enim copulam ad matrim perfectum, requirere consensum: & idem videntur clare tenere *Abb. c. 2. de conversf. coniuz. fin., & Silvest. verb. Divortium, q. 5.* dicunt enim non videri sponsam communicasse suum corpus, cum invita sit cognita.

4 Sed tanquam certum tenendum est matrim. consummari, & effici prorsus indissolubile. Prob. quia ea copula vi extorta efficiuntur conjuges una caro, ut constat ex *c. Discretionem, de eo, qui cogn. consang.* ubi definitur, inde affinitatem oriri: quod nullo modo contingeret, nisi efficeretur una caro: ut probavi disp. præced. nu. 5. ergo Et confirm. quia (ut probavi eod. nu. 5.) copula ex qua oritur affinitas, consummat matr. cum ergo copula violenta sufficiens sit, ut oriatur affinitas, consummabit matrim. 2. quia ex parte viri, libere fuit consummatum matrim. ergo ex parte ejus est omnino indissolubile, quamvis sponsa profiteatur: & cum matrim. vinculum claudicare nequeat, idem erit ex parte sponsæ. Præterea quia constitutio dissolvens matrimonium, tanquam odiosa, eo quod matr. favorabile sit, *c. fin. de sent. & re judic.* non est extendenda, sed restringenda, ut intelligatur de matr. quod nullo modo consummatum est. Hanc sent. ut probabiliorem tenent *Palud. primum cit. & Durand. eod. n. 15.* eam videtur sequi, cum constituat illam in ultimo loco: *Victoria* dicens esse certam, *sum. de matr. nu. 255. Lad.* idem dicens, 2. *p. 5. q. 36. a. 3. fin. Palacios 4. d. 27. disp. 2. f. 583. Enriquez l. 11. de matr. cap. 8. nu. 10. Manuel. 1. 1. sum. 2. edit. c. 239. n. 2. Lud. Lop. 2. p. infir. de matr. c. 54. f. 1167. Petr. de Ledes. de matr. q. 61. a. 1. f. 583. Vega l. 2. sum. casu 500.* Et ex Jurisperitis *Angel. Matrim. 4. nu. 17. Cov. 4. decr. 1. p. c. 7. §. 4. n. 10. Perez l. 5. ord. t. 15. rubr. ad fin. Barbosa, ff. sol. matr. 2 p. rubricæ, n. 106.* & DD. omnes referendi nu. 5. asserentes sponsam vi oppressam non posse ad religionem transire, sunt ejusdem sententiæ: si enim ea copula matr. non consummaret, posset utique. Nec obstat argum. contrarium, repræsentat enim unionem Christi cum Ecclesia, quoad substantiam, nam fiunt conjuges una caro, sicut Christus per carnem est unius Ecclesiæ: licet non quoad modum, hæc enim unio spontanea est, illa autem violenta.

5 Quæstio II. Utrum saltem possit sponsa vi cognita intra bimestre sibi concessum, ad religionem transire. Duplex est sent. I. & satis probabilis, negat posse. 1. quia omnia jura clamant matr. consummato, neutri conjugi altero invito licere transitum ad religionem, cum ergo non distinguant, utrum copula vi, vel sponte habita sit, nec nos distinguere debemus *c. Consulusti 2. q. 5.* quia vir usus est jure suo exigendo corpus sibi traditum per matrim. vinculum 3. ex *c. fin. 55. d.* ubi decidit non prodesse violenter oculum eruta esse, quominus eo orbatus, irregularis sit. 4. quia ex ea copula potest nasci proles, cui per matris professionem maxima injuria irrogabitur, non enim poterit commode educari. Hanc tenent *Archid. c. fin. ad fin. d. 35. Hoss. sum. t. de conversf. coniug. nu. 9. vers. Quid si virgo, Guido, & Jacobus in suis disp.* quos refert & sequitur *Ant. c. 2. nu. 3. de conversf. coniug. Bald. c. Causam, num. 8. de probat. Salvo. verb. Luxuria q. 6. d. 2. Rosella verb. Impedimentum, imped. 1. nu. 3. Barbosa ff. solut. matr. 2. p. nu. 105.* & clare videtur tenere *Cov. 3. decr. 2. p. c. 7. §. 4. n. 10.* quia licet tantum dicat, non dirimit matrim. professione alterius, ac DD. quos pro se refert, dicunt non posse ingredi: & ex Theologis videtur sequi tanquam probabiliorem, *Durandus 4. d. 27. q. 2. nu. 15.* & dicit esse probabilem, neutram definiens, *Victoria sum. de matr. num. 255.* & tenent *D. Ant. 2. p. t. 5. c. 7. §. 1. & 3. p. t. 1. c. 21. §. 1. fin. Sum. confil. t. 1. t. 8. q. 42. 5ot. 4. diff. 27. q. 1. a. 4. vers. Quid autem juris, Ledes. 2. p. 4. q. 63 a. 3. fine, Enriquez l. 11. de matr. c. 8. n. 10. Barth. a Ledes. dub. 64. de matr. f. 1569. & seq. Lud. Lop. 1. p. inst. c. 83. §. Ceterum circa, & 2. p. de matr. cap. 54. f. 1107. Vega l. 2. de sum. casu 500.*

6 II. Sent. multo probabilior, docet, posse ingredi. Prob. sponsus gravem intulit injuriam, cum non haberet jus copulam extorquendi ante bimestre concessum, *c. Ex publico, de conversf. coniug.* & illa non potest aliter jus suum recuperare, nisi per ingressum, ergo potest ingredi religionem. 1. quia dolus nemini debet patrocinari, nec viri culpa alterius bonum impedire debet, ne culpæ reus inde commodum reportet, *cap. ad nostram, de emptio. & vendit. & cap. Tua, de cler. non resid. & cap. Sedes de rescrip.* cum multis similibus, quæ congerit *Tiraq. de retrac. lignag. §. 3. Gloss. 9. nu. 68. 3.* quia propter adulterium, hæresim, & cetera, potest uxor virum deserere, & ingredi religionem, manente matrim. vinculo; ergo & propter hanc violentiam; non enim minus est hæc contra jus matrim. quam illa. 4. quia beneficium juris auferendum non est a femina, quæ dissentit, *c. Indultum, de reg. jur. in 6.* ergo. 5. quia sine sua culpa nemo debet jure suo privari, *c. Discretionem ad fin. de eo, qui cognovi consang.* cum ergo femina invita, & absque sua culpa fuerit cognita, non debet jure, quod habebat ingrediendi religionem, privari 6. quia non solum injuste petit, qui petit non debitum, sed qui prævenit tempus, *§. Plus autem, inst. de actio*, sed sponsa non tenetur reddere debitum, nisi transacto bimestri a matr. contracto, ut dicam disp. 24. ergo vir cogens antea reddere, est injustitiæ reus, igitur hæc injustitia non debet ipsi favere, ut privet uxorem jure ingrediendi religionem. Hanc tenent Glos. *c. fin. verb. Invitur, & d. 55 & ibi Præp. Joan. Andr. reg. Quæ contra jus, de reg. jur. in 6. Card. c. 2. q. 2. de conv. coniug. & ibi Abb. fin. Fel. c. causam, de probat. 4. Brixiensis, & Joan. de Dio*, quos refert *Ant. d. c. 2. n. 3. Bald. l. 1. §. Remo. ff. de postulan. & in Ang. init. Paul. n. 5. Hippol. de Marsiliis l. 1. in princ. n. 87 ff. ad l. Corn. de sicar. & l. 1. o. Præterea n. 12. ff. de q. Turrec. c. Matrimonio 7. q. 1. n. 2. Sylv. verb. Divortium, q. 5.* ubi *Arm. n. 6. Greg. Lop. l. 4 fin. t. 1. p. 4. Perez l. 5. ord. t. 1. l. 1. f. 21. vers. Circa præmissa dub. Valascus cons. 291. n. 5.* Et ex Theologis, *Palud. 4. diff. 27. q. 3. art. 2 concl. 1. num. 10. Palacios 4. diff. 27. disp. 2. f. 585. Petr. de Ledes. de matr. qu. 61. art. 1. f. 584. Manu. 1 tom. sum. 2. edit. c. 239. n. 2.* & dicunt esse probabilem *Victoria, Ledesma, Barth. a Ledes.* quos retuli num. præcedenti.

7 Poterit tamen per accidens femina vi oppressa, impediri a religionis ingressu, ratione damni prolis ex ea copula secutæ, quæ absque matre commode educari nequit: fecus si polit. Sic *Petr. de Ledesma prox. cit.*

8 Non potest autem sponsus invita sponsa per vim oppressa, religionem ingredi, quia ex parte sua voluntarie consummatum est matrimonium: & sponsæ id concedunt DD. 2. sent. ut dammum violentiæ sibi illatum refarciat. Sic *Manu. 1. in sum. 2. editæ 239. n. 2.* quamvis DD. allegati num. 3. dicentes per copulam vi extortam non consummari matr. teneantur dicere validam esse professionem, si sponsus profiteatur, nec posse revocari, imo vinculum matr. dissolvi, licet peccet sponsus ratione damni secuti sponsæ ex sua culpa.

9 Ino aliqui censent, sponsum, qui nondum matr. consummato tradidit consanguineo sponsam violandam, non posse ingredi religionem si tradiderit, ut ipsam renitentem violet. Sic *Ricard. a. d. ff. 35. a. 2. q. 2. Rosella verb. Impedimentum imped. 1 num. 4.* & probant *ex c. Discretionem, de eo, qui cogn. consang.* quod non facit ad rem, solum enim probat divortium celebrari non posse, ob adulterium a viro permissum: & ideo hoc reprobant *Tabiena verb. Impedimentum, imped. 2. q. 3 nu. 4. fin. Palacios 4. d. 27. f. 585. fin. & sq. disp. 2.* quia cum matr. adhuc consummatum non sit, bene potest ingredi religionem. Sed *Ricardus* forte intelligit ratione injuriæ illatæ non posse licite ingredi: & hoc verum est, quando alias ea injuria sufficienter refarciri non posset: si tamen de facto ingrederetur, dissolveretur utique vinculum prioris matr. quod per eam copulam consummatum non erat.

10 Ad arg. I. sent. proposita n. 5. respondetur ad 1. ea jura intelligi quando matr. absque injuria consummatum est, & licet ea id non explicent, colligitur tamen ex aliis, quæ n. 6. retulimus probantibus, nemini fraudem propriam patrocinaturam. Ad 2. negatur antec. quia per matr. traditur statim corporis potestas, sub tacita conditione, nisi alter intra bimestre religionem eligat. Ad 3. dico, illam textum loqui de irregularitate, quæ cum ex membri defectu, & deformitate confurgat, non voluntatem, sed factum respicit. Ad 4. dico solum probare, per accidens impedirí tunc, quod n. 7. nos concessimus.

11 Quæstio III. Utrum quando sponsa non vi præcisa, sed metu cadente in virum constantem, oppressa est a sponso, possit religionem ingredi? Aliqui id admittentes, quando violenter oppressa est; ad negant, quando metu, quia vis omnimoda libertate privat, non autem metus, *l. 1. & 2. ff. de eo, quod met. cau.* Sic *Joan. And. reg. Quæ contra jus, de reg. in 6. præpos. c. fin. d. 55. Card. c. 2. de conversf. coniug. qu. 2. Sylv. verb. Divortium, q. 5.*

q. 5. & ibi Armil. n. 6. Greg. Lop. l. 4. fin. t. 1. p. 4. Perez l. 5. ordin. t. 1. l. 1. fol. 12. vers. Circa præmissa dubium, Palacios 4. d. 27. disp. 2. fol. 583. Et est satis probabile.

12 Sed probabilius est posse, quia ratio, ob quam permittitur ingressus: quando copula vi extorta est, non est defectu voluntatis, sed ratione injuriæ illatæ, & injustitiæ a sponso admissæ, ut probavimus num. 6. similis autem injustitia est, quando timore gravi copulam extorsit. Et ita *Ledesm. 2. p. 4. q. 63. art. 3. ad fin.* dicit idem esse de timore, & de violentia dicendum: quare in utroque casu sentit esse probabile posse sponsam ingredi: & tenent *Petr. de Ledesm. de matrim. qu. 61. art. 1. fol. 584.*

13 Quæstio IV. est, Utrum peccet sponsus vi, vel timore gravi extorquens copulam a sponsa de præsenti? Et quidem quando transactum est jam bimestre concessum a jure ad deliberandum de religionis ingressu, DD. omnes initio hujus disputationis citati supponunt non peccare: quia sponsus utitur jure suo, exigendo sibi debitum, nec potest sponsa juste denegare. Nam tenentes intelligo, quando tentatis aliis mediis pacificis pollet sponsa; si enim his intentatis, violentia uteretur sponsus, peccaret ratione modi: ut si potens rem suam pacifice recuperare, vi extorqueret. Sic *Silv. verb. Luxuria, q. 6. dub. 2.* & ita intelligit *D. Th. 2. 2. q. 154. art. 7. ad 4.* ubi dicit, sponsum vim inferentem sponsæ peccare, sed non esse raptorem: juxta *c. Lex illa, 36. q. 1. & c. Si quis virginem, 36. q. 2.* intelligitur enim, vel quando ante bimestre, vel si post, non tentavit media pacifica. Quod si instet, peccare vi recuperantem rem suam, cum judicis officium implorare teneatur: respondit *gloss. dict. cap. Lex illa*, esse multo fortius jus in matrimonio, cum enim vir habeat manuum injectionem in uxorem, ratione subjectionis potest illam propria auctoritate apprehendere: ut ex multis probat *Aut. Gom. l. 80. Tauri, num. 39.*

14 Difficultas autem est, utrum intra illud bimestre sponsus cogens, peccet? *Manuel. 1. to. sum. 2. edit. c. 239. nu. 2.* censet non peccare lethaliter, quia non infert injuriam sponsæ, quæ adhuc potest religionem ingredi.

15 Sed dicendum est peccare lethaliter. 1. quia aufert corporis integritatem, cum non habeat jus, donec bimestre transeat. Præterea, quia jus certum sponsæ transeundi ad religionem, reddit valde dubium, & litigiosum, & lite mota impedietur professio usque ad litis conclusionem, magnisque sumptibus opus erit, & dubius erit litis eventus; forte enim judex amplectetur probabiliorem sent. docentem non posse ingredi. Præterea, quia forte ex ea copula sequetur proles, ob quam sponsa impedietur ab ingressu. Deinde, quia DD. omnes allegati nu. 6. adeo gravem hanc injuriam reputant, ut non obstante matrim. consummatione, credant esse sufficientem, ut sponsa possit perpetuum facere divortium profitendo religionem, manente sponso ligato matrim. vinculo. Tandem, quia potest sponsus in foro externo puniri: ut docent *Bald. & Salic.* quos refert *Ant. Gom. l. 80. Tauri nu. 39.* idemque docet *Cov. 4. decret. 2. p. cap. 7. §. 4. n. 11.* pro culpa autem veniali, iniquum esset plecti in foro externo. Et ita hanc partem sustinent *Sot. 4. d. 17. p. 1. a. 4. vers. Quid autem juris, Petr. de Ledes. de matr. q. 61. a. 1. f. 583.*

16 Temperat tamen hanc sent. *Sot. prox. citat.* quando sponsa affirmabat velle se religionem ingredi: in hoc enim casu ait peccare lethaliter sponsum cogentem: & faver, quia *Bald. Salic. & Covar. proxime citati*, dicunt non puniri sponsum cogentem, quando sponsa non præmeditabatur hunc ingressum. Sed melius *Petr. de Ledes.* absque ea limitatione locutus est: & ita hoc enim casu credo esse culpam lethalem: quia licet sponsa tunc non præmeditaretur, forte eo bimestri per jus sibi concesso, Spiritus sanctus inspirabit, cui sponsus obstat, extorquens copulam nondum sibi debitam.

17 Quæstio V. Utrum sponsa per vim oppressa a sponso ante bimestre possit semen expellere? videtur non posse, quia est intrinsece malum, & contra naturam ordinantem semen ad sobolis propagationem. Sed si loquatur de femina, quæ non a sponso vim passa est, certum reputo, nisi incontinenti semen expulerit, non posse postea: incontinenti autem valde probabile est mihi posse. Ducor ea communi doctrina, quam amplectuntur *Sotus l. 5. de iust. q. 1. a. 8. vers. De bonis autem. Bannes 2. 2. q. 64. a. 7. dub. 6. 3. ad 2. Aragon tod. a. 7. fol. 382. §. In hac difficultate explicanda, & ibi Salon. controv. 2. §. Ex his sequitur, Manuel. 1. t. sum. 2. edit. c. 136. n. 15.* quæ habet, licere privata authoritate furem incontinenti, ubi furtum arripuit, donec in loco tuto constitutus sit, percutere, & eam reputari defensam: similiter ergo reputabitur defensa, cum incontinenti, & statim, ac semen receptum est, femina vim passa expellit: locus quando jam semen habet possessionem, & est quasi in loco tuto constitutum, tunc enim non erit defensa, sed intrinsece malum. Et confirm. quia posset femina illa vim passa, quocumque tempore membrum virile extrahere, si posset, quamvis semen effundendum esset, non enim tenetur id pati: ergo incontinenti, ac effusum est, potest similiter expellere, quia cum nondum semen habeat pacificam vasis possessionem, adhuc quasi in fieri, & in ipsa effusione reputatur esse. De sponsa autem de præsenti per vim cognita, id non affirmarem, quia injuria est multo levior, nec infamiam patitur, & damnum non est adeo grave. Nec de femina per metum cognita, quia copula fuit voluntaria, & cum peccato admissa.

DISPUTATIO XXIII.

Utrum si sponsi jurent se nondum matr. consumasse, sit illis in foro externo adhibenda fides, ut possit alter ad religionem transire, & eo profitente, manens in sæculo aliud matr. inire?

SUMMARIUM.

Non creditur, quando sponsa non erat virgo, & domum sponsi traducta est, secus si traducta non fit, num. 1.
Creditur, si erat virgo, & aspectu talis appareat, 2.

SIt I. Conel. Si sponsa non erat virgo, nec Sponsi domum traducta sit, adhibetur illorum juramento fides: cum ex aspectu probatio haberi nequeat, & non esse traductam, simul cum juramento, fit urgens indicium: si autem traducta esset, non creditur illis in matrim. præjudicium, & dissolutionem: in hac enim non statur soli conjugum confessioni, *cap. Super eo, de eo, qui cogn. consang. Sic Hostiens. sum. t. de convers. conjug. nu. 9. vers. Quid si quis, Bald. l. Deo nobis, in princ. C. de episc. & cler. n. 7. Anchar. 4. Ex publico, n. 2. de convers. conjug.* 1

II. Concl. Si erat virgo, & talis post aspectum appareat, licet domum sponsi traducta sit, creditur illis, quia omnis probatio vincitur, aspectu contrarium testificante. Sic *Anchar. ibi.* 2

DISPUTATIO XXIV.

Utrum liceat quandocumque ante matrimonii consummationem, sponsis ad religionem transire, vel sit tempus præscriptum?

SUMMARIUM.

In quo consistat difficultas, & quot difficultates tractandæ sint, num. 1.
An bimestre concessum sponsis sit ad profitendum, vel ad deliberandum de ingressu, referuntur duæ opiniones, 2. & 3.
Vera opinio ponitur, num. 4. & an possit judex hac ratione annum novitiatus coarctare.
Solvuntur argumenta, n. 5. post quem invenies cetera sumaria.

HUjus disp. difficultas consistit in intellectu *cap. Ex publico de convers. conjug.* ibi, *mandamus, quatenus si prædictus vir eam carnaliter non cognoverit, & eadem ad religionem transire voluerit, recepta ab ea sufficienti cautione, quod vel ad religionem transire, vel ad virum suum redire, intra duorum mensium spatium debeat, ipsam absolvas.* Circa quod decretum sex difficultates tractandæ sunt I. an illud bimestre sit ad deliberandum de religionis ingressu, vel ad profitendum. II. esto dicamus dari ad profitendum, sit correctum per *Trid. sess. 25. de regularib. cap. 15.* III. an id bimestre sit præcisum, itaut judex nec prorogare, nec coarctare possit. IV. qualiter mensuretur id bimestre. V. an casu, quo sponsi non intendunt religionem ingredi, teneantur statim matrim. inito ad debiti redditionem. VI. an transacto eo bimestri liceat sponsis ad religionem transire. 1

Difficultas I. Utrum bimestre præscriptum *cap. Ex publico, de convers. conjug.* sit ad deliberandum de religionis ingressu, vel ad profitendum? Triplex est sent. I. docet præscribi ad profitendum, itaut teneatur sponsus religionem ingrediens, intra illud bimestre profiteri, vel matrimon. consummare. Prob. quia *eo cap. Ex publico*, præscribitur, ut debeat sponsa intra bimestre ad religionem transire, vel ad virum redire: transire autem, vel ingredi religionem, est ad professionem admitti: ut constat ex *eod. c. Ex publico*, ubi dicitur alterius ingressu dissolvi matrimonium: quod de sola professione verificatur. 2. quia si manens in sæculo teneretur per annum expectare, minus bene ipsi consultum esset, cum aliis nuptiis copulari nequeat, donec alter profiteatur, hanc tenent *Innoc. d. c. Ex publico, n. unico, & ibi Abb. nu. 11. Præp. c. fin. 55. d. Tabiena Matrim. 3. qu. 3. n. 4. Nav. sum. cap. 16. Hisp. n. 26. lat. n. 27.* Et videntur tenere *Gl. cap. Statuimus, verb. habitum, de regul. & Ricard. 4. d. 27. a. 2. q. 2. ad 3*, ubi dicunt posse judicem compellere sponsam ingredientem, intra certum tempus profiteri. 2

II. Sententia sic distinguit, si alter sponsus ex alterius consensu ingrediatur, dabitur annus ad profitendum: quia eo ipso, quod assensum præbet ingressui, videtur consentire, ut detur tempus ordinarium novitiatus: si autem sine alterius consensu ingrediatur, habebit bimestre: juxta *dictum cap. Ex publico. Sic gloss. cap. Desponsatam 27. q. 2. init.* & videtur clare tenere *d. c. Ex publ. verb. Intra divortium*: & docent *ibi Jo. And. n. 8. Card. qu. 7. Anchar. nu. 10. & Brunel. de spons. concl. 30. num. 2.* Et notat *ibi gloss.* quam sequitur *Hostiens. ibi super verb. Intra duorum, & ibi Card. n. 7.* hoc bimestre currere a die, qua judex præfixit terminum: ut ex eo textu colligitur. 3

III. Sententia, quam veriorem reputo, licet duæ præcedentes probabiles sint, docet id bimestre dari ad deliberandum de religionis ingressu; ad profitendum vero dari integrum annum, qui annus juridice coarctari nequit. Prob. quia hic annus non tantum datur in novitii favorem, ut monasterii austeritates experiatur, sed etiam in monasterii favorem, ut experiatur novitii mores, *cap. Ad Apostolicam de regular.* ergo quamvis novitius ob propsium factum possit jure suo spoliari, non tamen poterit

poterit monasterium 2. quia si jure licet sponso religionem ingredi, debet cum juris privilegio experiendi integro anno, licere 3. quia a jure antiquo non licet recedere absque textu expresso, & ne juris correctio inducatur, debent verba impropriari, ut dixi l. 1. disp. 17. n. 6. ergo cum jure antiquo concederetur annus probationis *d. c. Ad Apostolicam, & c. Consaldus 17. q. 2.* nec *d. cap. Ex publico* expresse contrarium definiat, sed tantum dicat debere intra bimestre transire ad religionem, quod potest intelligi de transitu per professionem, vel per assumptionem habitus novitiorum, non debet intelligi de professione, ut jus antiquum servetur illæsum. Hanc tenent *Host. sum. t. de convers. conjug. n. 11. & d. cap. Ex publ. super verb. Intra duorum, & ibi Ant. nu. 12. Armil. verb. Divortium, nu. 5.* Et ex Theologis, *Palud. 4. d. 27. q. 3. a concl. 2. n. 14 D. Ant. 1. p. t. 1. c. 21. §. 1. Sot. 4. d. 27. q. 1. a. 4. vers. At vero si infra, Capua l. 2. decis. c. 81. n. 9. Barth. a Ledes. de matr. dub. 64. f. 1597.* Temperat tamen *Host. d. c. Ex publico, super v. Intra duorum, & ibi Ant. nu. 12.* nisi magna interveniat causa, ut judex annum novitiatus coarctet, tunc enim poterit.

Ad 1. arg. ex propositis n. 2. pro 1. sent. respondetur, transire, accipi pro transitu ad assumendum habitum novitiorum, & licet non tam proprie dicatur hic transitus, quam dum transitus per professionem, necesse tamen est sic intelligere, ne inducatur juris concedentis annum novitiatus correctio. 2. Ad 2. dico nullam injuriam irrogari, cum æqua sit utriusque conditio, & ex alia parte, ut bono religionis consulatur, oportuit non coarctare novitiatus annum. 5

SUMMARIUM.

An, esto bimestre concedatur ad profitendum, corrigatur per Tridentinum, n. 6. & ibi lex posterior limitatur per priorem specialem, licet abrogata sit, & ponitur opinio negans corrigi per Tridentinum.
Verior opinio, corrigi, nu. 7. & ibi, lex universalis negativa est generaliter intelligenda.
An si sponsa duodennis ingrediatur, teneatur sponsus quadriennio expectare, 8.
Quid si prætextu religionis sponsus varias religiones ingrediens exeat novitiatus anno, 9.
Explicatur Trid. sess. 25. de regul. c. 15. n. 10. juncto, n. 6.
Solvuntur arg. n. 10. & ibi, juncto n. 6. an translatus de una religione in aliam, possit ante transactum novitiatus annum profiteri in posteriori: & possit hodie renuntiari novitiatus anno. Post num. 10. invenies alia summaria.

6 QUæstio II. Utrum retenta opinione probabili, n. 2. allegata, dari sponsis bimestre ad profitendum, sit correctum per *Trid. sess. 25. de reg. c. 15.* statuens nullum ad professionem admittendum esse, nisi transacto integro novitiatus anno? Duplex est sent. I. ait non esse correctum, & sic cogendum esse sponsum profiteri intra bimestre præscriptum *d. c. Ex publico*, quamvis non expleverit ætatem 16. annorum requisitam *eod. c. 15.* Ducitur, quia lex posterior generaliter, & indistincte loquens, limitanda est per specialem antiquiorem, & juxta illam intelligenda, nisi expressis verbis illi contradicat, *l. Sed & posteriores ff. de legib.* ibi, *posteriores leges ad priores pertinent, nisi contrariæ sint.* Qua ratione *gl. l. Sciendum, verb. Non compelli, ff. qui satis dare cogat. & ibi Bart. in princ. n. 1. & Jas. n. 4. idem Barth. in l. Omnes populi, q. 3. ff. de iust. & jur. Bald. aut. Offeratur, nu. 12. init. C. de litis contest. Abb. cons. 24. n. 1. vers. Secundo principaliter, vol. 2. Decius, ff. de reg. jur. reg. 90 n. 12. & reg. 80 nu. 11. Nav. c. placuit, de pœnit. d. 6. n. 148. & summa lat. c. 27. n. 260.* insistentes huic doctrinæ, afferunt illam authenticam, *Offeratur*, multo posteriorem restringi per *d. l. Sciendum*, antiquiorem. Quæ doctrina adeo vera est, ut procedat, licet in lege nova sit clausula, non obstante, debet enim intelligi lege contraria, quæ non possit cum hac sustineri per aliquam limitationem, vel distinctionem, ut *auth. de success. ab test. circa princ.* & docet *ibi gloss. verb. Vacantibus, Barth. super extravag. Ad reprimendum, §. Non obstantibus, num. 6. & d. l. Sciendum, nu. 2.* ubi *Jason nu. 4. & idem Jason l. 1. n. 9. ff. fol. matr.* Imo licet anteriores leges abrogatæ sint, sunt juxta illas recentiores explicandæ, *l. Non est novum, ff. de legib.* & ita docent cum *Bart. Lud. Gom. reg. de triennali, q. 61. v. Tertius intellectus, Burg. de Paz. l. 1. Tauri, nu. 570.* & non tantum per legem specialem anteriorem, sed etiam per rationem legis prioris, posteriores leges limitandæ sunt, ut docet *Barth. l. De pretio ff. de public. in rem act.* cum ergo Trident. generaliter loquatur, restringendum est per speciale jus antiquum, *d. c. Ex publico*, ut non intelligatur in eo casu. Et confir. quia quando lex antiqua ponit casum specialem, lex nova generaliter loquens non intelligitur derogare illi casui speciali, ut optime *Ant. Gabr. in mea edit. 2. t. comm. l. 10. verb. Lex, fol. 50. col. 2.* ubi id colligit ex Bart. & ex aliis: idem *Azebedo l. 5. recop. t. 4. l. 1. nu. 52.* ergo cum *d. c. Ex publico*, loquatur, in casu specialissimo, & ob specialissimam rationem, ne fiat præjudicium sponso manenti in sæculo, si cogatur per annum expectare, & aliquando per quadriennium, ut si sponsa esset duodennis, Trident. generaliter statuens profitendum non esse ante novitiatus annum, & ante 16. annos expletos, non loquitur in hoc casu speciali, sed quando novitii sponte sua profitentur, nec professionis dilatio cedit in alterius damnum. 2. Prob. ex doctrina *Corduba sum. q. 38. & Enriquez l. 13. de excomm. c. 40. n. 2. in comm. lit. O.* ubi docent, professum translatum ab una religione non mendicante ad aliam non mendicantem, posse ante annum profiteri juxta *c. Ad Apostolicam de regul.* cui Triden. non videtur derogari in hoc casu, cum generaliter loquatur, maxime quia idem *Trid. ea. sess. 25. de reg. cap. 21.* concedit in casu speciali professionem post semestre. Et hæc sent. est satis probabilis, & eam videtur tenere *Nav. sum. lat. c. 16. n. 27.* cum enim scripsit post Trident. dicit concedi ad profitendum illud bimestre *d. c. Ex publico*, & non refert esse per Trident. correctum, & tanquam probabile relinquit *leg. 4. consil. in 1. edit. titul. de spons. consil. 40. in 2. l. 3. t. de convers. conjug. cons. 1.* & quondam litem nostram defenderunt suo patrocinio *Doctor Vega, Maja, Solis*, primarii moderatores Salmanticæ, juris Pontificii, & Cæsarei Cathedrarum, ut refert *Enriqu. l. 12. de matrim. cap. 5. num. 8. in comment. lit. T.* 7

II. Sent. probabilior, ait corrigi per Trid. & ita non posse coarctari annum probationis, quia Trid. generaliter, & per verba negativa statuens, ne ante annum fiat professio, est generaliter, & in omni casu intelligendum: lex enim universalis negativa, est universaliter intelligenda, *cap. Solitæ §. fin. de major. & obed. & l. De pretio ff. in public. in rem act.* quod procedit etiam, quando major ratio invenitur, quare non debeat includere magis unam speciem, quam aliam, ut docet *Nav. consi. proxime citato*, cujus ratio est, quia juxta regulam logicæ, negatio quidquid post fe invenit, destruit, & ejus oppositum ponit. 2. quia ratio, qua Trident. in eo statuto ductum est, fuit, ut novitius cognoscat, quam vitæ rationem suscepterit, experiaturque illius difficultates, & an vires suppetant ad eas toto vitæ curriculo perferendas, ne si ante annum, primo vocationis fervore ductus, profiteretur, professione emissa, quando jam est omni remedio destitutus, facile pœniteat, & vitam miserrimam, angoribusque plenam agat: quæ ratio æque militat in nostro casu. Sic tenet *Enriquez l. 13. de matr. c. 5. n. 8. & in comm. lit. F.* dicit, sic pronunciatum esse in prædicta lite, & confirmatum in regia Vallisoleti Cancellaria, & sic tenuisse multos jurisperitos, ac Theologos. Idem *Barth. a Ledes. de matr. dub. 64. f. 1568. Palacios 4. d. 27. disp. 2. f. 582. Manuel. 1. t. sum. 2. edit. c. 239. n. 2. Vega l. 2. sum. casu 500.* & in hanc magis videtur inclinare *Nav. consiliis*, quæ retuli nu. præced. fin. licet neutram definiat.

Hinc infertur, si sponsa duodennis transeat ad religionem, 8
expectaturum sponsum quadriennio, cum profiteri nequeat ante 16, annum expletum, juxta *Trid. sess. 25. de regul. cap. 15.* sic *Enriquez eod. num. 8.*

Observandum tamen est, si alter sponsus prætextu religionis, 9
nimis differat matrim. consummare, vagando de una religione in aliam, intra novitiatus annum, posse judicem compellere dato termino peremptorio, ut maneat in una religione, in qua completo novitiatus anno profiteatur, vel ad sponsum alterum redeat, & consummet matrim. quia alias cederet in magnum alterius sponsi damnum, qui diu, imo & toto vitæ spatio posset manere ligatus primo matrim. & sic non posset sibi mederi, aliud contrahendo. Sic *Pal. 2. d. 27. q. 3. a. 2. concl. 2. n. 14. D. Ant. 3. p. t. 1. c. 21. §. 1. Palacios 4. d. 27. disp. 2. fol. 583. Enriquez l. 11. de matr. c. 14. nu. 3. & l. 12. cap. 5. num. 8. fine.*

Ad 1. arg. ex propositis n. 6. respondetur, id esse verum, 10
quando non constat ex lege generali, corrigere specialem: at ex tenore Tridentini, & ejus decreti ratione colligitur velle corrigere: ut probavi, & eodem modo respondetur ad confirm. Ad 2. dico illam doctrinam esse valde dubiam, & *Corduba eodem q. 38. in 2. edit.* dicit videri id correctum esse per Tridentinum: & adhuc magis dubia est in casu, in quo loquitur *Enriq. ibi cit.* dicit enim transeuntem ad strictiorem religionem, ut ad Carthusiam, posse ante annum profiteri: & ita doctrina neganda est. Nec favet *c. Ad Apostolicam*, quia tantum decernit posse ex consensu religionis, & novitii probationis anno renunciari: quod *Navar. l. 3. cons. in 1. edit. t. de regul. consul. 33.* latissime defendit correctum esse: & addit n. 5. quamvis oppositum defendi posset probabiliter disputando, non tamen consulendo, vel judicando. 2. respondeo, esto ea doctrina esset vera, ille professus jam expertus fuerat asperitates similis religionis: sponsus autem minime: quare nullo modo satisfit fini Concilii Tridentini.

SUMMARIUM.

An bimestre sit præcisum, itaut judex non possit illud coarctare, vel prolongare, ponitur 1. opinio dicens esse præcisum, num. 11. & ibi juncto nu. 13. quando judex possit prorogare, vel coarctare terminum legalem.
Verior opinio ponitur, 12.
Solvuntur argumenta, num. 13. Post quem invenies alia summaria.

QUæstio III. Utrum bimestre concessum sponsis, *c. Ex publico, de convers. conjug.* ad deliberandum de religionis 11
ingressu, sit præcisum, itaut judex nec possit prorogare, nec coarctare, vel sit arbitrarium? Videtur non posse, quia quamvis ex causa possit regulariter judex terminum lege præscriptum restringere, vel prorogare, ut arbitratur *Barth. l. 2. n. 9. ff. de sent. & re judic.* quem ibi communiter scribentes sequuntur, teste *Mol. l. 2. de primog. c. 14. n. 19.* ait, id non procedere, quando lapso termino ponitur pœna privationis, vel alia similis, ut bene docet

docet *ibi Molin. cum gloss. Baldo, Felin. Decio*, quos ibi refert: sed hoc bimestre ponitur a jure, & eo transacto privatur sponsus jure amplius deliberandi, & excommunicandus est, si neget debitum, ergo. Et confirm. quia ob id, secundum omnes, non potest judex terminum ad appellandum concessum restringere, vel prorogare. Et ideo hanc partem videtur tenere *Gl. c. antepen. verb. Nec acquieverit, d. 92. & c. Conjug. v. Prima, 27. q. 2.*

12 Ceterum dicendum est, hoc tempus esse arbitrarium, & ita posse judicem causa cognita restringere, vel prorogare: quia licet quando datur terminus a lege, absque judicis ministerio, nequeat judex restringere, vel prorogare, cum non sit supra legem: secus tamen est, ubi datur ministerio judicis: ut contingit *d. c. Ex publico*, ubi non signatur bimestre, sed mandatur judici, ut deligat: ut bene docet *Dyn. reg. Indultum, 17. nu. 14. de reg. jur. in 6. & Cardin. statim citandus*. Et ideo hanc sent. tenent *glos. d. c. Ex public. verb Intra duorum*, ubi *Card. q. 5. Abb. n. 11. Rosella verb. Debitum, nu. 1.* ubi *Silv. q. 1. causa 4. Armil. nu. 5. Tabiena Matrim. 3. q. 3. n. 4. Brunel. de sponf. concl. 30. n. 2. Navar. jum. c. 16. Hisp. n. 26. lat. n. 27.* Et ex Theologis, *Ricard. 4. d. 27. a. 2. q. 2. ad 1. Barth. a Ledesm. de matr. dub. 71. concl. 3. f. 1598. Manuel 1. t. sum. 2. edit. c. 242. n. 1.* Non debet tamen judex ab eo bimestri facile discedere: cum juris terminus sit, ut docent *Cardin. Abb. Silv. Barth. a Ledesm. ibidem*.

13 Ad arg. propositum nu. 11. & ejus confirm. constat ex dictis nu. 12. ea enim doctrina vera est, quando terminus lege præscribitur absque judicis ministerio, ut contingit in termino ad appellandum concesso.

SUMMARIUM.

Quot dies habet mensis, quando in aliqua lege sit illius mentio: referuntur variæ opiniones, num. 14.
Dum lex disponit, a quo tempore incipiat mensis, quot dierum debeat esse, 15.
Hi dies computantur de momento ad momentum, & an dies termini dati computentur in termino, 16.
Quid si dies bissextus contingat in eo mense: refertur quædam opinio, 17.
Verior opinio ponitur, nu. 18. & ibi, suspensus per mensem, potest celebrare ultima die Februarii, in quo est bissextus.
Quando dicitur dispositio favorabilis, vel odiosa, remissive, 19.
Quot dies habeat mensis, quando jus non exprimit, a quo tempore incipiat mensis, nu. 20. ubi de indulgentia mensis concessa, quot dies continet.
Bimestre datum ad deliberandum de religionis ingressu, quot dies habeat, num. 21.
Ætas ad profitendum requisita, & annus novitiatus an debeat de momento ad momentum complari: itaut non sufficiat ultimam diem inceptam esse, & an requiratur annus, & dies, & quid in anno bissextili, num. 22. & ibi, summa est ratio, quæ pro religione facit, & in favorabilibus, dies incepta habetur pro completa.
Qui explet 21. annum certa die jejunii, an teneatur illa jejunare, 23. Post num. 23. invenies alia summaria.

24 QUæstio IV. Quot dies continere debeat bimestre concessum *c. Ex publico, de conv. conjug.* ut sponsi de religionis ingressu deliberent? Neminem inveni in propriis terminis disputantem: in genere autem, dum mensis in jure fit mentio, quot dies contineat, disputant multi. Et quidam dicunt viginti octo dies continere: ex quibus quatuor hebdomadæ consurgunt. Alii vero dicunt continere triginta dies: Alii prudentis arbitrio relinqui: ut potest videri in *Men. l. 2. de arbitr. centuria 1. casu 50.*

25 Sit tamen I. Concl. quando lex, vel statutum concedens mensem, disponit a quo tempore mensis incipiat, ut a die electionis, vel a die per judicem designanda: tunc accipitur mensis, secundum quod incurrit in Kalendario, & quod ex illo mense deficit, accipitur de sequenti, & ita habebit mensis ille triginta dies, vel triginta & unum, ut in Kalendario occurrerit: verb. gr. electio fieri debet intra tres menses a die vacationis, & talis dies fuit 8. Januarii, deficiunt ergo usque ad numerum 31. dierum, quibus constat Januarius, septem dies: septima dies Aprilis erit ultima trimestris, quia Januarius accepit a Februar. 7. dies, & totidem Februarius a Martio, & totidem Martius ab Aprili. Sic docent *gl. c. Quam sit, de elect. in 6. verb. Mensem, & ibi Domin. §. Electus, n. 2. Francus tod. §. n. 4. Bart. l. Cum bissextus, n. 1. ff. de verb. sign. Ant. c. Licet, n. 12. de suppl. negl. prælat.* ubi *Card. si Abb. n. 6. Bocchus de jure patr. verb Honorificum, q. 51. Lambertinus* alios referens, *de jure patr. 1. p. 2. q. 1. a. 4. Silv. Excommunicatio, 9. excommun. 32. q. 6. §. 63. Menoch.* aliis citatis, *d. casu 50. n. 21. & seq.*

26 Computantur autem dies hi de momento ad momentum: ut bene docet *Lambertin. ib.* & ratio est, quia tempus incipiens ab aliqua die determinata, computatur regulariter de momento ad momentum, ut expresse habetur *l. 3. §. Minor. ff. de min.* & aliis relatis docet *Ant. Gom. l. 70. Taur. n. 25.* Et in quibuscumque casibus occurrentibus, an tempus computetur de momento ad momentum vel potius dies, ex qua terminus statuitur, non computetur in termino; est late videndus *Tiraq. de retract. lign. §. 1. gl. 11. a. n. 17.*

27 Quæres tamen, si dies bissextus contingat in eo mense, an illi duo dies computentur pro uno, ut computari pro uno diciturur *c. Quæsivit, de verb. sign. & l. Cum bissextus, ff. eod. tit. & l. 3. §. Minorem, ff. de minor. Card. & Lambert. relati nu. 15.* dicunt servandam esse regulam ibi traditam, & ita si in exemplo ibi adhibito, accideret in mense Febr. bissextus, dicunt illam diem non esse minuendam, sed tanquam aliam diem computandam: non enim eo quod illa dies creverit mense Feb. accipiendæ sunt sex a Martio dies, sed adhuc accipientur 7. ad complendum trimestre; quia dies Februario accrescens, est ipsius Februarii.

28 Sed quamvis hoc sit satis probabile, verius tamen est, distinguendum esse, ut in favorabilibus, in mense bissextili duos dies pro uno cedant, secus in odiosis: unde suspensus per mensem, si incipiat mensis Februarius bissextilis, poterit celebrare ultima Febr. die sic *gl. c. Quæsivit, de verb. sig. verb. Quasi, & c. Nullus, 55. d. si. & c. Si propter de resc. in 6. vers. Primi anni, Archid. d. c. Nullus, Laurent. Tancred. Vincentius, Goffred. Joan. And. & Assensis*, quos refert, & sequitur *Henric. d. c. Quæsivit, n. 6. & 7. & ibi Ant. n. 7. Card. si. Anchar. num. 1. Abb. n. 6. Dom. d. c. Si propter, super Glossam Primi anni, & ibi Anch. n. 6. vers. Sed quid si, Franc. nu. 6. Silv. verb. Ætas, si. Ang. verb. Bissextus, n. 1.* ubi *Tabien init. Enrig. lib. 13. de excom. c. 35. n. 2.* Hoc tamen intelligo, quando computantur menses, vel anni: nam si computentur dies, ut si dicatur. Sis suspensus 40. diebus, computabitur dies bissextus: quia est verus dies: & sic erunt illi duo dies, sic colligitur ex *l. 2. ff. de diversis. & tempor. præscr.* & docet *ibi gl. verb. Videtur Bart. l. Cum bissextus, init. ff. de verb. sig. & l. 3. Minorem, n. 3. ff. de min. Abb. d. c. Quæsivit, n. 6. & ibi Card. §. Festum, vers. Nota quod in anno Francus, d. c. Si propter n. 6.* Similiter intelligo, quando suspensio esset absolute per mensem, secus quando esset per mensem Februarii: tunc enim cum dies accrescens ratione bissexti, sit vere Februarii, non licet ult. Febr. die celebrare.

29 Si quæras autem, quando sit dispositio favorabilis, & quando odiosa, ut intelligamus duos dies bissexti pro uno, vel pro duobus computandos esse: dixi l. 1. disp. 2. num. 4.

30 II. Concl. quando jus, vel dispositio non exprimit a quo tempore mensis incipiat, ut dum conceditur indulgentia unius mensis, vel duorum, vel si promittat quispiam se mensem servituram, tunc quidam dicunt illum mensem esse 30. dierum: quia sic communiter menses accipiuntur: ita *Ant. c. Licet, n. 12. de suppl. negl. præl. & ibi Abb. n. 6. Bart. Bald.* & alii quos refert, & sequitur *Franc. c. Quam sit, §. Electus, n. 4. de elect. in 6.* Verius tamen est tunc computatis omnibus anni diebus, accipiendam esse duodecimam anni partem pro quolibet mense: quia cum aliqui menses contineant 30. alii vero 31. dies, nec assignetur principium mensis, non est cur potius hunc, vel illum numerum eligemus: quare, ut hæc confusio vitetur, melior computatio erit dicta, cum unus mensis sit duodecima anni pars: sic *Durand. c. Quam sit, §. Electus n. 2. ver. Si vero, Rochus de jure part. v. Honorificum, q. 51. Lambert. de jure part. l. 2. p. 2. q. 1. a. 14.*

31 Ex dictis infertur resolutio nostræ quæst. nam cum bimestre concessum *c. Ex publico, de conv. conjug.* ad deliberandum de ingressu in religionem, currat a tempore contracti matrimonii, & si judex præscribat tempus, ab eo tempore menses computabuntur eo modo, quo tunc occurrit in Kalendario, & de momento ad momentum: ut explicui nu. 15. & seq. Quæ solutio utilis valde est ad secundum, quando conjuges negantes sibi debitum, peccent: & quando si sponsus cogat sponsam; non possit amplius illa religionem ingredi, juxta dicta hoc 22. l. disp. num. 1. & 6.

32 2. Infertur declaratio *Trid. sess. 25. de reg. c. 15.* petentis XVI. ætatis annum completum, & novitiatus integrum annum, ut professio valida sit: posset enim aliquis existimare satis esse ultimam XVI. anni diem inceptam esse, & similiter de ultima die novitiatus anni: & ita professionem esse validam si fiat mane diei, qua novitius post meridiem implet sexdecim annos, vel mane diei, qua post meridiem impletur probationis annus, & posset duci, quia in favorabilibus dies incepta habetur pro completa, per *l. Qua ætate, ff. de test.* ubi testamenti favore decernitur, diem, qua ætas requisita ad testandum impletur, sufficere inceptam: & docent *gl. l. 3. §. Minorem, verb. Momentum prope fin. ff. de minor. & ibi Bart. n. 2. Alb. in pr. Bald. in fin.* & alii multi, quos refert *Flaminius de resig. benef. lib. 12. q. 8. n. 19.* & concludit n. 26. hoc verum esse, quando tempus non designatur per dies, sed per annos: qua ratione lib. 1. disp. 16. n. 2. diximus diem ætatis septennis, requisitæ ad sponsalia, & pubertatis ad matrim. sufficere inceptam esse: ergo similiter favore religionis, sufficiet diem illam inceptam esse: quia summa est ratio, quæ pro religione facit: ut tradunt *Palud. 4. d. 38. q. 2. n. 15. & Silv. Religio 3. q. 3. dist. 2.* Et maxime, quia a matrim. carnali ad spirituale valet argumentum: ut late *Everar. loc. a matr. carnali*. Ceterum credo annum illum de momento ad momentum complendum esse, quia *Trid. d. c. 15.* ponit initium computationis illius anni, nempe a die assumptionis habitus; ubicumque autem decretum requirit certum tempus, debet computari de momento ad momentum: ut probavimus n. 16. Non tamen exigitur addere anno unum diem: cum nullo jure id caveatur, ut bene docent *Palud. 4. d. 38. q. 2. n. 15. Silv. Religio 3. q. 3. dist. 2. & q. 19. dist. 3. Palacios 4. d. 38. disp. 1. f. 824. init. Enrig. lib. 13. de excom. c. 42. n. 2.* Similiter credo 16. annos impleendos esse de momento ad momentum: ut de ætate minori disponitur expresse *l. 3. §. Minorem, ff. de minor.* ubi decidit 25. annos, ne deinceps aliquis minor dicatur, restitutioque sibi concedatur, complendos esse de momento ad momentum: ubi *gl. verb. Momentum*, ait hoc esse favore minoris ætatis: & *P. Molina to. 2. de just. tract. 2. disp. 573. §. Atque ut a minori ætate*, ait, si XXV. annus ætatis alicujus compleatur

6. Kal. Martii anni bissextilis, censendum est compleri in die 2. qui 6. Kal. Martii similiter dicitur: nempe, 25. die mensis Febr. in puncto horæ respondenti puncto diei nativitatis. Et ratio est, quia utraque dies, una censetur: & quia dies 2. est complementum quadriennii præcedentis, cui id deerat ad complementum circuli integri Solis per Zodiacum, ideo ad complementum illius ætatis, ea dies accipienda est. Sic ergo Tridentinum favore minoris ætatis, decrevit, ne professio valeat ante XVI. annum completum: ea ætas simili modo prorsus, de momento ad momentum, & si compleatur in anno bissextili 7. 7. Kal. Martii, accepta 2. die, computanda est: & ita docet *ibi Molina*. Nec obstat arg. contrarium; quia hic concurrit minoris ætatis favor. immo & ipsius religionis credo hunc esse favorem: cum enim sit altissimus, & perfectissimus religionis status, favor ipsius est, ut in ea ætate assumatur, quia plenior est deliberatio: & cum eam præscripserit Tridentinum, ut sit sexdecim annorum, illa debet esse favore minoris ætatis de momento ad momentum completa: sicut in simili idem dispositum est favore minoris ætatis, *d. l. 3. §. Minorem, ff. de minor.*

3. Infertur, ætatem, ut jejunium obliget, necessariam, viginti unius annorum, debere esse omnino completam de momento ad momentum, computato nativitatis puncto, quia favore minoris ætatis, præceptum ante eos annos minime obligat unde juxta dicta n. præc. ætas prorsus completa esse debet. Unde fit, ut si die jejunii impleat aliquis eam ætatem, ante punctum, quo implet, possit jentaculum sumere: quia ante id tempus præcepto non astringitur: & semel eo sumpto, non tenebitur eo die ad jejunium, quia jam non potest amplius jejunare, cum id semel fractum sit: si autem ante punctum impletæ ætatis, jejunium minime fregisset, teneretur postea illud servare, quia transacto eo punto, jam præcepto jejunii obligatur, & potest illud servare, ergo tenetur.

SUMMARIUM.

An qui non intendit ingredi religionem, teneatur intra bimestre debitum reddere, 1. opinio teneri, nu. 24.
Secunda, non tenetur, n. 25. & ibi, ad quid detur illud bimestre. Post num. 25. invenies alia summaria.

24 QUæstio V. Utrum si sponsi nolint ingredi religionem, teneantur statim inito matr. sibi invicem reddere debitum? Quidam censent teneri statim, quia, cum per matr. transferatur statim dominium corporis in alterum conjugem, statim tanquam verus dominus, potest alter uti illo, nisi obstet ingrediendi religionem voluntas, ergo cum ea deest, tenetur alter corpus concedere. Hujus sent. videntur *Richard. 4. d. 27. a. 2. q. 2. ad 1. Nav. sum. c. 16. Hisp. n. 26. lat. n. 27. Palac. 4. d. 27. disp. 2. fol. 583. Angles floribus 1. p. de matr. q. 6. de obl. solvendi debitum, a. 1. diff. 4. f. 559 Fr. Metina l. 1. su. c. 16. §. 13. f. 232. col. 1.* dicunt enim conjugem non teneri debitum reddere intra bimestre, si vult religionem ingredi, unde contrarium videtur sentire ex voluntate deficienti, & tenet expresse *Angel. ve b. Debitum, n. 14.*

25 Sed dicendum est non teneri, donec bimestre transit, quia id tempus conceditur *c. Ex publico, de conver. conjug.* ad deliberandum de ingressu religionis: quamvis autem hodie neuter conjux ingredi intendat, potest tamen propositum in melius commutare, & ita licebit id tempus expectare. Præterea, quia id bimestre non tantum ad hoc conceditur, sed etiam ut sponsi præparent necessaria solemnitati nuptiarum, & ne sponsus cito sibi traditam sponsam parvipendat, pluris enim eam faciet, si traditio differatur crescente in eo cupidine fruendi illa; ut cum *D. Aug. l. 8. confess. c. 3.* docent *D. Th. 4. d. 27. q. 1. a. 3. q. 2. ad 2. Turr. c. Sunt qui dicunt 27. q. 2. a. 2. n. 3. fine, Rosella, verb. Debitum, n. 1.* ubi *Sylv. q. 1. causa 4. Tabiena Matr. 3. q. 3. n. 4 Sot. 4. d. 27. q. 1. a. 4. v. Præter hæc quæ dicta sunt, Bart. a Ledesm. de matr. dub. 71. concl. 3.* hujus sent. videtur *D. Th. prox. cit. D. Bon. 4. d. 26. a. 3. q. 2. Palud. 4. d. 23. q. 1. a. 1. n. 4. Sot. ibi, q. 1. a. 3. vers. Hac qu. Victoria de matr. n. 277. Eur. l. 11. de matr. c. 15. n. 7. & l. 12. c. 5. n. 8. Vivaldel. 1. p. de matr. n. 255. Lud Lop. 1. p. instr. c. 83. §. Ceterum circa, Petr. de Led. de matr. q. 61. a. 1. f. 583. concl. 2. Manuel 1. t. su. c. 239. n. 2. & c. 242. n. 1.* Et ex Jurisperitis *gl c. Conjuges, 27. q. 2. verb. Prima*, ubi absolute asserunt non teneri conjuges intra bimestre a contracto matrim. sibi debitum reddere: & tenent in propriis terminis *Rosella verb. Debitum, n. 1.* ubi *Sylv. q. 1. causa 4. Tabiena matr. 3. q. 3. n. 4. Led. 2. p. 4. q. 66. a. 1. f. 525. col. 4. Bart. Led. de matr. dub. 71. concl. 3.* & videtur expresse tenere *Armilla, verb. Debitum, n. 5.* Nec obstat arg. oppositum, quia transfertur statim dominium, sub ea tacita conditione, nisi velit alter conjux toto priori bimestri ad religionem transire: quare eo non transacto nequit dici voluntatem transeundi abesse.

SUMMARIUM.

An si ante illud bimestre sponsus non transit ad religionem, possit eo transacto ingredi: proponitur ratio dubitandi, n. 26.
Definitur posse, nu. 27. & ibi, quid distet inter tempus ante bimestre, & post: & an voto religionis sponsus astrictus teneatur tunc ingredi.
Solvuntur argumenta, n. 28. & ibi excommunicatio potest ferri absque monitione, quando præcessit mandatum sub pœna excommunicationis: & qualiter se debeat habere judex, qui sub excommunicatione præcepit intra bimestre consummare.
Thom. Sanchez de Matrim. Tom. I.

QUæstio VI. Utrum si bimestri transacto, vel tempore a jure dicto præscripto ad consummandum matrim. neuter sponsus ad religionem transit, & matr. consummatum non est, liceat adhuc transire, quantumcumque tempus elapsum sit? Videtur non posse: quia transacto eo bimestri, teneretur alter sponsus alteri debitum reddere, & potest ad id compelli: ergo non potest ingredi, cum hæc sint incompatibilia. Et confir. quia quando judex præcepit sponso, ut intra certum tempus ad religionem transeat, vel matr. consummet, sub excommunicationis pœna, potest, si neutrum fecerit, statim eo termino elapso excommunicare illum, ergo nequit tunc transire: si enim posset, injusta esset excommunicatio lata postea, eo quod non consummaret, nec illam incurreret. 26

Dicendum tamen est, adhuc posse ingredi, quia licet peccarit negando debitum post id bimestre, etiam si religionem ingredi intenderet, minime tamen amisit jus statim ingrediendi: cum Christus absolute concesserit hoc privilegium religionis professioni, ut semper dirimat matr. ratum. Sed objicies, inde inferri, nihil distare inter illud bimestre, & reliquum tempus. Resp. latum esse discrimen: quia eo integro bimestri licebit debitum negare, licet absit religionem ingrediendi voluntas, ut diximus n. 25. eo autem transacto neuter sponsus alteri debitum negare potest, nisi statim transferat se ad religionem: jam enim deliberandi tempus cessavit. Rursus objicies fieri gravem injuriam sponso in sæculo manenti, quia cogitur diutius expectare. Dico irrogatam esse injuriam non consummando, vel ingrediendo religionem: at si statim alter transeat, non irrogari: quia par est utriusque conditio, & hac tacita conditione contrahunt, ut quandocunque non consummarint, possint ad religionem transire. Sic docent *gl. c. Ex publico, de conv. conjug. verb. Intra duorum, & ibi Host. super eod. verb. Innoc. nu. un. Ant. n. 13. Card. q. 8. Anch. n 10. Sylv. Votum 5. q. 3. d. 1. Ant. Cucus lib. 5. instit. maiorum, tit. 12. n. 20.* ubi bene addit teneri etiam tunc ad religionem transire sponsum, qui religionis voto ligatus erat. Et ex Theologis, videtur tenere *D. Bonav. 4. d. 27. a. 3. qu. 2.* ubi docet transacto hoc bimestri, ad aliam vitam se transferre teneri, vel debitum reddere. 27

Ad arg. oppositum, quod proposui n. 26. respondetur, teneri reddere, & posse compelli, si non statim ad religionem transeat. Ad confir. dico, quod si judex fulminarit excommunicationem latæ sententiæ in sponsum intra illud tempus non consummantem, transacto illo tempore incurrit illam ob contumaciam, & ita ligatus erit, usque ad introitum: & tunc absolvendus est: ut bene docet *Innoc. d. c. Ex publico, n. unico*, si vero erat excommunicatio ferenda, non potest excommunicari, si statim ingrediatur, si autem differat, potest absque alia monitione excommunicari, ob contumaciam præteritam: quia (ut bene docent *Innoc. c. Ex parte, el 1. n. 4. de verb. signif. Abb. c. Cum sit Romana, nu. 28. de appell. Hamad. super l. 10. 1. p. 1. gl. 1. n. 8.* quando præcipitur aliquid sub excommunicationis pœna, potest non obtemperans absque alia monitione excommunicari: nam id præceptum fuit monitio, & præcessit contumacia non obediendo: si autem ingrediatur, debet absolvi, ut dixi.

DISPUTATIO XXV.

An mutuus contrahentium consensus sit necessarius ad matrim. sitque causa efficiens?

SUMMARIUM.

Requiritur mutuus consensus, num. 1.
Qualiter consensus sit causa efficiens matrim. vel formalis, 2.
De consensu facto, vel quando alter, aut uterque amens est, vel ebrius, & an detur amens in una materia, & non in aliis, & quando contrahens est mutus, cæcus, & surdus, num. 3. remissive.

HActenus de matrim. essentia egimus, jam de consensu disputandum est. 1

Conclusio est affirmativa, & de fide: habetur enim in *Florent. in decr. de sacram. matr. & c. Sufficiat, 27. qu. 2. & c. Cum apud, & c. Tuæ, de sponf. & c. Tuas, de sponf. duorum, & l. Nupt. ff. de reg. Jur.* Et probatur, quia in matrim. est mutua traditio corporum, sed quod est unius, non traditur alteri absque proprio consensu. Item quia alii contractus non fiunt nisi mutuo consensu, ergo a fortiori matr. Antecedens patet, quia omnis contractus est quoddam pactum, pactum vero est duorum, vel plurium in idem placitum, & consensum, *l. 1. ff. de pact. §. 1. institut. de empt. & vend.*

Observandum est dupliciter posse intelligi, ut consensus sit causa matr. Primo, ut matr. est Sacramentum, & sic dicitur causa, in quantum internus consensus est causa externi contractus matr. in quo consistit ratio Sacramenti: & secundum hoc, & intrinseca: quia verba contractus in quantum in se ipsis involvunt mutuos consensus, & illos exprimunt, sunt materia, & forma hujus Sacramenti, ut dixi hoc lib. disp. 5. n. 6. Et confir. quia intentio ministri, & recipientis Sacramentum est de illius essentia, at contrahentes ipsi sunt ministri hujus Sacramenti, & recipientes, ut dixi disp. 6. n. 2. ergo eorum consensus, & intentio est de ejus Sacramenti essentia. Secundo modo intelligi 2